



# **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Manuale Exorcismorum**

**Eynatten, Maximilien de  
Antverpiae, 1626**

Pars Secunda, Continens praxim & modum exorcizandi energumenos, seu  
vexatos aut obsessos à dæmone, cum Precibus & Adiurationibus  
requisitis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40734**

MANVALIS  
EXORCISMORVM  
PARS SECVND A,

*Continens primum & modum exorcizandi  
energumenos seu vexatos aut obsessos  
a dæmore; cum Precibus & Adiura-  
tionibus requisitis.*

MODVS EXORCIZANDI  
Ex Rituali Romano  
PAVL I V.Pont. Max. iussu edito.

**S**ACERDOS, siue alius Exor-  
cista ritè confessus, aut saltem  
corde peccata sua detestans, per-  
acto, si commodè fieri potest,  
sanctissimo Missæ sacrificio, di-  
uinoq[ue] auxilio piis precibus implorato, superpel-  
liceo & stola violacea, cuius extrema pars ad  
obcessi collum circumponatur, indutus, & corā  
se habens obcessum ligatum, si fuerit periculum,  
eum, se, & astantes communiat signo Crucis,  
& asperget Aqua benedicta, & genibus flexis,  
aliis respondentibus, dicat Litanias ordinarias

C 3              usque

38 MANVALIS EXORCISMORVM  
usque ad Preces exclusiue. In fine, Antiphona.

Ne reminiscaris Domine delicta nostra,  
vel parentum nostrorum, neque vindictam  
sumas de peccatis nostris. Pater noster, &c.

*Vers.* Et ne nos inducas in temptationem.

*Resp.* Sed libera nos à malo. *Psalmus 53.*

**D**eus in nomine tuo saluum me fac : &  
in veritate tua iudica me.

Deus exaudi orationem meam : auribus  
percipe verba oris mei.

Quoniam alieni insurrexerunt aduersum  
me, & fortis quæsierunt animam meam : &  
non proposuerunt Deum ante conspectum  
suum.

Ecce enim Deus adiuuat me : & Dominus  
susceptor est animæ meæ.

Auerte mala inimicis meis : & in veritate tua  
disperde illos.

Voluntariè sacrificabo tibi : & confitebor  
nomihi tuo Domine, quoniam bonum est.

Quoniam ex omni tribulatione eripuisti  
me : & super inimicos meos despexit oculus  
meus. Gloria Patri.

*Vers.* Saluum fac seruum tuum. *Resp.* Deus  
meus sperantem in te. *Vers.* Esto ei Domi-  
ne turris fortitudinis. *Resp.* A facie inimici.

*Vers.* Nil proficiat inimicus in eo. *Resp.* Et  
filius iniquitatis non apponat nocere ei.

*Vers.* Mitte ei Domine auxilium de Sancto.

*Resp.*

*Resp.* Et de Sion tuere eum. *Vers.* Domine exaudi orationem meam. *Resp.* Et clamor meus ad te veniat. *Vers.* Dominus vobis-  
cum. *Resp.* Et cum spiritu tuo.

Oremus.      *Oratio.*

**D**eus, cui proprium est misereri semper & parcere, suscipe deprecationem nostram, ut hunc famulum tuum [*vel* hanc famulam tuam] quem [*vel* quam] delictorum catena constringit, miseratio tuæ pietatis clementer absoluat.      *Oratio.*

**D**omine sancte, Pater omnipotens, eterne Deus, Pater Domini nostri I E S V Christi, qui illum refugam tyrannum & apostamat gehennæ ignibus deputasti, qui que Unigenitum tuum in hunc mundum misisti, ut illum rugientem contereret: velociter attende, acceler, ut eripias hominem ad imaginem & similitudinem tuam creatum, à ruina & dæmonio meridiano. Da Domine terrorem tuum super bestiam, quæ exterminat vineam tuam. Da fiduciam seruis tuis contra nequissimum draconem pugnare fortissimè, ne contemnat sperantes in te, & ne dicat, sicut in Pharaone, qui iam dixit, Deum non noui, nec Israel dimitto. Virgeat illum dextera tua potens discedere à famulo tuo N. [*vel* à famula tua N.] + ne diutiùs presumat captiuum tenere, quem

C 4                  tu

40 MAN VALIS EXORCISMORVM  
tu ad imaginem tuam facere dignatus es, &  
in Filio tuo redemisti: qui tecum viuit &  
regnat, &c. *Resp.* Amen.

*Deinde præcipiat dæmoni hunc in modum:*

**P**ræcipio tibi, quicumque es, spiritus im-  
munde, & omnibus sociis tuis hunc Dei  
famulum obſidentibus, vt per mysteria In-  
carnationis, Passionis, Resurrectionis, & Ad-  
ſcensionis Domini nostri I e s v Christi,  
per missionem Spiritus sancti, & per aduen-  
tum eiusdem Domini nostri ad iudicium,  
dicas mihi nomen tuum, diem, & horam  
exitus tui, cum aliquo signo, & vt mihi Dei  
ministro, licet indigno, prorsus in omnibus  
obedias: neque hanc creaturam Dei, vel  
circumstantes, aut eorum bona vlo modo  
offendas.

*Deinde legantur super obſessum hæc Euangelia, vel vnum, aut alterum.*

*Lectio sancti Euangelij secundum Ioannem.  
Hæc dicens signat se & obſessum in fronte, ore,  
& pectore.*

*Ioan. I.*

**I**n principio erat Verbum: & Verbum  
erat apud Deum: & Deus erat Verbum.  
Hoc erat in principio apud Deum. Omnia  
per ipsum facta sunt: & sine ipso factum est  
nihil. Quod factum est, in ipso vita erat: &  
vita erat lux hominum: & lux in tenebris  
lucet, & tenebrae eam non comprehende-  
runt.

runt. Fuit homo missus à Deo, cui nomen erat Ioannes. Hic venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine: ut omnes crederent per illum. Non erat ille lux: sed ut testimonium perhiberet de lumine. Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. In mundo erat: & mundus per ipsum factus est: & mundus eum non cognouit. In propria vénit: & sui eum non receperunt. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri: his, qui credunt in nomine eius. Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate vi- ri: sed ex Deo nati sunt. Et V E R B U M C A R O F A C T U M E S T : & habitauit in nobis, (& vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre,) plenum gratiæ & veritatis. *Resp.* Deo gratias.

Lectio sancti Euangelij secundum Mar-

cum.      *Marc. 16.*

**I**N illo tempore: dixit I E S U S discipulis suis: Euntes in mundum vniuersum, prædicate Euangelium omni creaturæ. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit: qui verò non crediderit, condemnabitur. Signa autem eos, qui crediderint, hæc sequentur. In nomine meo dæmonia eiicient: linguis loquentur nouis: serpentes tollent, & si

C 5      mor-

42 MANVALIS EXORCISMORVM  
mortiferum quid biberint, non eis nocebit:  
super ægros manus imponent, & benè ha-  
bebunt.

Lectio sancti Euangeli secundūm  
Lucam. *Luc. 10.*

**I**N illo tempore: Reuersi sunt septuaginta  
duo cum gaudio dicentes ad I E S V M :  
Domine, etiam dæmonia subiiciuntur no-  
bis in nomine tuo. Et ait illis: Videbam sa-  
tanam sicut fulgur de cælo cadentem. Ecce  
dedi vobis potestatem calcandi supra ser-  
pentes, & scorpiones, & super omnem vir-  
tutem inimici, & nihil vobis nocebit: ve-  
rumtamen in hoc nolite gaudere, quia spiri-  
tus vobis subiiciuntur: gaudete autem, quod  
nomina vestra scripta sunt in cælis.

Lectio sancti Euangeli secundūm  
Lucam. *Luc. 11.*

**I**N illo tempore: Erat I E S V S eiicens  
dæmonium, & illud erat mutum. Et cùm  
eiecisset dæmonium, locutus est mutus, &  
admiratæ sunt turbæ. Quidam autem ex  
eis dixerunt: In Beelzebub principe dæmo-  
niorum eiicit dæmonia. Et alij tentantes  
signum de cælo quærebant ab eo. Ipse au-  
tem vt vedit cogitationes eorum, dixit eis:  
Omne regnum in se ipsum diuisum deso-  
labitur, & domus supra domum cadet. Si  
autem & satanas in seipsum diuisus est, quo-  
modo

modo stabit regnum eius ? quia dicitis in Beelzebub me eiicere dæmonia . Si autem ego in Beelzebub eiicio dæmonia , filij vestri in quo eiiciunt? idè ipsi iudices vestri erūt . Porrò si in digito Dei eiicio dæmonia , profectò peruenit in vos regnum Dei . Cùm fortis armatus custodit atrium suum , in pace sunt ea quæ possidet : si autem fortior eo superueniens vicerit eum , vniuersa arma eius auferet , in quibus confidebat , & spolia eius distribuet . *Vers.* Domine exaudi orationem meam . *Resp.* Et clamor meus ad te veniat . *Vers.* Dominus vobiscum . *Resp.* Et cum spiritu tuo .

Oremus .

**O**Mnipotens Domine , Verbum Dei Patris , Christe I E s v , Deus & Dominus vniuersæ creaturæ , qui sanctis Apostolis tuis dedisti potestatem calcandi super serpentes & scorpiones , qui inter cetera miraculum tuorum præcepta dignatus es dicere , Dæmones effugate : cuius virtute motus tamquam fulgur de cælo satanas cecidit : tuum sanctum nomen cum timore & tremore suppliciter deprecor , vt indignissimo mihi seruo tuo , data venia omnium delictorum meorum , constantem fidem , & potestatem donare digneris : vt hunc crudelem dæmonem , brachij tui sancti munitus potentia , fiderter & securus aggrediar , per te

I E s v

I E S V Chtiste Domine Deus noster , qui venturus es iudicare viuos & mortuos , & sæculum per ignem. *Resp.* Amen.

*Deinde muniens se & obsessum signo Crucis, circumposita parte stolæ ad collum eius, & dextera manu sua capiti eius imposta, constanter & magna cum fide dicat ea quæ sequuntur.*  
*Vers.* Ecce Crucem Domini , fugite partes aduersæ. *Resp.* Vicit leo de tribu Iuda, radix Dauid. *Vers.* Dñe exaudi orationem meam. *Resp.* Et clamor meus ad te veniat. *Vers.* Dominus vobiscum. *Resp.* Et cum spiritu tuo.

Oremus.                    *Oratio.*

**D**eus, & Pater Domini nostri IESV Christi , inuoco nomen sanctum tuum , & clementiam tuam supplex exposco , vt aduersus hunc , & omnem immundum spiritum , qui vexat hoc plasma tuum , mihi auxilium præstare digneris. Per eumdem Dominum nostrum I E S V M Christum filium tuum , qui tecum viuit & regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. *Resp.* Amen.

### E X O R C I S M V S.

**E**xorcizo te, immundissime spiritus, omnis incursio aduersarij , omne phantasma, omnis legio, in nomine Domini nostri I E S V Christi + eradicare , & effugare ab hoc plasmate Dei . + Ipse tibi imperat, qui te

te de supernis cælorum in inferiora terræ  
demergi præcepit. Ipse tibi imperat, qui  
mari, ventis, & tempestatibus imperauit.  
Audi ergo, & time satana, inimice fidei, ho-  
stis generis humani, mortis adductor, vitæ  
raptor, iustitiæ declinator, malorum radix,  
fomes vitiorum, seductor hominum, prodi-  
tor gentium, incitator inuidiæ, origo auari-  
tiæ, causa discordiæ, excitator dolorū. Quid  
stas, & resistis, cùm scias Christum Domi-  
num vires tuas perdere? illum metue, qui  
in Isaac immolatus est, in Ioseph venumda-  
tus, in agno occisus, in homine crucifixus,  
deinde inferni triumphator fuit. *Sequentes*  
*Cruces fiant in fronte obſeffi.* Recede ergo in  
nomine Patris ♫, & Filij ♫, & Spiritus ♫  
sancti, da locum Spiritui sancto, per hoc  
signum ♫ Crucis I E S V Christi Domini  
noſtri. Qui cum Patre & eodem Spiritu  
sancto viuit & regnat Deus per omnia sæcu-  
la sæculorum. *Resp.* Amen. *Vers.* Domine  
exaudi orationem meam. *Resp.* Et clamor  
meus ad te veniat. *Vers.* Dominus vobis-  
cum. *Resp.* Et cum spiritu tuo.

Oremus.      *Oratio.*

**D**eus conditor & defensor generis hu-  
mani, qui hominē ad imaginem tuam  
formasti: respice super hūc famulū tuum N.  
[vel hanc famulam tuam N.] qui [vel quæ]  
dolis

46 M A N V A L I S E X O R C I S M O R V M  
dolis immundi spiritus appetitur, quem ve-  
tus aduersarius, antiquus hostis terræ, for-  
midinis horrore circumuolat, & sensum  
mentis humanæ stupore defigit, terrore  
conturbat, & metu trepidi timoris exagitat.  
Repelle Domine virtutem diaboli, fallaces-  
que eius insidias amoue, procul impius ten-  
tator aufugiat: sit nominis tui signo ✕ (in  
fronte) famulus tuus munitus, & in anima  
tutus & corpore.

*Tres Cruces sequentes fiant in pectore  
demoniaci.*

Tu pectoris ✕ huius interna custodias.  
Tu viscera ✕ regas. Tu ✕ cor confirmes.  
In anima aduersaricis potestatis tentamen-  
ta euanescant. Da Domine ad hanc inuo-  
cationem sanctissimi nominis tui gratiam,  
vt qui hucusque terrebat, territus aufugiat,  
& victus abscedat, tibiique possit hic famu-  
lus tuus, & corde firmatus, & mente since-  
rus debitum præbere famulatum. Per Do-  
minum nostrum I E S U M Christum filium  
tuum, qui tecum, &c. *Resp.* Amen.

#### E X O R C I S M V S.

**A** Diuro te serpens antique, per Iudicem  
viuorum & mortuorum, per factorem  
tuum, per factorem mundi, per eum qui ha-  
bet potestatem mittendi te in gehennam,  
vt ab hoc famulo Dei N. qui ad Ecclesiam  
sinum

sinum recurrit, cum metu & exercitu furo-  
ris tui festinus discedas. Adiuro te iterum  
† (in fronte) non mea infirmitate, sed virtu-  
te Spiritus sancti, ut ex eas ab hoc famulo  
Dei N. quem omnipotens Deus ad imagi-  
nem suam fecit. Cede igitur, cede non mi-  
hi, sed ministro Christi. Illius enim te vr-  
get potestas, qui te Crucis suæ subiugavit. Il-  
lius brachium contremisce, qui deuictis ge-  
mitibus inferni, animas ad lucem perduxit.  
Sit tibi terror corpus hominis †, (in pectore)  
sit tibi formido imago Dei † (in fronte.)  
Non resistas, nec moreris discedere ab ho-  
mine isto, quoniam complacuit Christo in  
homine habitare. Et ne contemnendum  
putes, dum me peccatorem nimis esse cog-  
noscis. Imperat tibi Deus †. Imperat ti-  
bi maiestas Christi †. Imperat tibi Deus  
Pater †, imperat tibi Deus Filius †, im-pe-  
rat tibi Deus Spiritus † sanctus. Imperat ti-  
bi sacramentum Crucis †. Imperat tibi fi-  
des sanctorum Apostolorum Petri & Pauli,  
& ceterorum Sanctorum †. Imperat tibi  
Martyrum sanguis †. Imperat tibi conti-  
nentia Confessorum †. Imperat tibi pia  
Sanctorum & Sanctorum omnium inter-  
cessio †. Imperat tibi Christianæ fidei my-  
steriorum virtus †. Exi ergo transgressor,  
Exi seductor, plene omni dolo & fallacia,

vir-

48 M A N V A L I S E X O R C I S M O R V M  
virtutis inimice , innocentium persecutor. Da  
locum dirissime ; da locum impiissime ; da  
locum Christo , in quo nihil inuenisti de  
operibus tuis, qui te spoliauit, qui regnum  
tuum destruxit, qui te victum ligauit, & vasa  
tua diripuit , qui te proiecit in tenebras ex-  
terioris, ubi tibi cum ministris tuis erit præ-  
paratus interitus. Sed quid truculente reni-  
teris? quid temerarie detrectas? Reus es om-  
nipotenti Deo, cuius statuta transgressus es.  
Reus es Filio eius I E S V Christo Domino  
nostro , quem tentare ausus es , & crucifige-  
re præsumpsisti. Reus es humano generi, cui  
tuis persuasionibus mortis venenum propi-  
nasti.

Adiuro ergo te , draco nequissime, in no-  
mine Agni + immaculati , qui ambulauit  
super aspidem & basiliscum, qui conculca-  
uit leonem & draconem, ut discedas ab hoc  
homine +, (*fiat in fronte*) discedas ab Ec-  
clesia Dei +, (*fiat signum Crucis super cir-  
cumstantes*) contremisce, & effuge, inuoca-  
to nomine Domini illius , quem inferi tre-  
munt, cui Virtutes cælorum, & Potestates,  
& Dominationes subiectæ sunt, quem Che-  
rubim & Seraphim indefessis vocibus lau-  
dant dicentes, Sanctus , Sanctus , Sanctus ,  
Dominus Deus sabaoth. Imperat tibi Ver-  
bum + caro factum. Imperat tibi natus + ex

Vir-

Da  
da  
de  
um  
rava  
ex-  
ræ-  
ni-  
m-  
es.  
no  
ge-  
cui  
pi-  
uo-  
uit  
ca-  
oc-  
ic-  
ir-  
ca-  
te-  
es,  
le-  
u-  
is,  
er-  
ex-  
r-  
M  
Virgine. Imperat tibi IESVS + Nazare-  
nus, qui te, cùm discipulos eius contemne-  
res, elisum atque prostratum exire præcepit  
ab homine; quo præsente, cùm te ab homi-  
ne separasset, nec porcorum gregem ingre-  
di præsumebas. Recede ergo nunc adiura-  
tus in nomine + eius ab homine, quem ipse  
plasmavit. Durum est tibi velle resistere +.  
Durum est tibi contra stimulum calcitra-  
re +. Quia quantò tardius exis, tantò magis  
tibi supplicium crescit; quia non homines  
contemnis, sed illum, qui dominatur viuo-  
rum & mortuorum, qui venturus est iu-  
dicare viuos & mortuos, & sæculum per  
ignem. *Resp.* Amen. *Vers.* Domine exaudi  
orationem meam: *Resp.* Et clamor meus ad  
te veniat. *Vers.* Dominus vobiscum. *Resp.* Et  
cum spiritu tuo. Oremus.

**D**eus cæli, Deus terræ, Deus Angelo-  
rum, Deus Archægelorum, Deus Pro-  
phetarum, Deus Apostolorum, Deus Mar-  
tyrum, Deus Virginum, Deus qui potesta-  
tem habes donare vitam post mortem, re-  
quiem post laborem, quia nō est aliis Deus  
præter te, nec esse poterit verus, nisi tu crea-  
tor cæli & terræ, qui verus Rex es, & cuius  
Regni non erit finis; humiliter maiestati  
gloriæ tuæ supplico, ut hunc famulum tuum  
de immūdis spiritibus liberare digneris. Per

D                    Chri-

50 MANVALIS EXORCISMORVM  
Christum Dominum nostrum. *Resp.* Amen.  
EXORCISMVS.

**A** Diuro ergo te omnis immundissime spiritus, omne phantasma, omnis incursio satanæ, in nomine I E S V Christi + Nazareni, qui post lauacrum Iordanis in desertum ductus est, & te in tuis sedibus vicit, ut quem ille de limo terræ ad honorem gloriæ suæ formauit, tu desinas impugnare: & in homine miserabili non humanam fragilitatem, sed imaginem omnipotentis Dei contremiscas. Cede ergo Deo +, qui te & malitiam tuam in Pharaone, & in exercitu eius per Moysen seruum suum in abyssum demersit. Cede Deo +, qui te per fidelissimum seruum suum Dauid de Rege Saule spiritualibus canticis pulsum fugauit. Cede Deo +, qui te in Iuda Iscariote proitore damnauit. Ille enim te diuinis + verberibus tangit, in cuius conspectu cum tuis legionibus tremens & clamans dixisti: Quid nobis & tibi I E S V Fili Dei altissimi? Venisti huc ante tempus torquere nos? Ille te perpetuis flammis vrget, qui in fine temporum dicturus est impiis: Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius. Tibi enim impie, & angelis tuis vermes erunt, qui numquam morientur. Tibi & angelis tuis inextinguibile præpara-

tur

tur incendium , quia tu es princeps maledic̄i homicidij ; tu auctor incestus, tu sacrilegorum caput, tu actionum pessimarum magister : tu hæreticorum doct̄or, tu totius obscenitatis inuentor. Exi ergo † impie, exi † scelerate , exi cum omni fallacia tua , quia hominem templum suum esse voluit Deus. Sed quid diutius moraris hic? Da honorem Deo Patri omnipotenti † , cui omne genu flectitur. Da locum Domino I E S V Christo † , qui pro homine sanguinē suum sacra-tissimum fudit. Da locum Spiritui † sancto, qui per beatum Apostolum suum Petrum te manifeste strauit in Simone Mago: qui fallaciā tuam in Anania & Saphira condēnauit, qui te in Herode Rege honorē Deo nō dante percussit; qui te in Mago Elyma per Apostolum suū Paulum cæcitatis caligine perdidit, & per eumdem de Pythonissa verbo imperans exire præcepit. Discede ergo nunc † , discede † seductor. Tibi eremus sedes est. Tibi habitatio serpens est: humiliare & prostrernere. Iam non est differendi tempus. Ecce enim dominator Dominus proximat cit̄o , & ignis ardebit ante ipsum , & præcedet, & inflāmabit in circuitu inimicos eius. Si enim hominem fefelleris, Deum non poteris irridere. Ille te eiicit, cuius oculis nihil occultum est. Ille te expellit , cuius virtuti

52 M A N V A L I S E X O R C I S M O R V M  
vniuersa subiecta sunt. Ille te excludit, qui  
tibi & angelis tuis præparauit æternam ge-  
hennam; de cuius ore exibit gladius acutus,  
qui venturus est iudicare viuos & mortuos,  
& sæculum per ignem. *Resp.* Amen.

*Prædicta omnia, quatenus opus fuerit, repeti  
possunt, donec obsessus sit omnino liberatus.*

*Iuuabit præterea plurimum, bæc que infrà  
notantur, super obsessum deuotè dicere, sæpeque  
repetere.*

Pater noster, &c. Aue Maria, &c. Cre-  
do, &c.

*Canticum beatæ Mariæ Virginis. Luc. 1.*

**M** Agnificat: anima mea Dominum.  
Et exultauit spiritus meus: in Deo  
salutari meo.

Quia respexit humilitatem ancillæ suæ:  
ecce enim ex hoc beatam me dicent om-  
nes generationes.

Quia fecit mihi magna, qui potens est:  
& sanctum nomen eius.

Et misericordia eius à progenie in pro-  
genies: timentibus eum.

Fecit potentiam in brachio suo: dispersit  
superbos mente cordis sui.

Deposuit potentes de sede: & exaltauit  
humiles.

Esurientes impleuit bonis: & diuites di-  
misit inanes.

Susce-

Suscepit Israel puerum suum: recordatus  
misericordiae suæ.

Sicut locutus est ad patres nostros: Abra-  
ham, & semini eius in sæcula. Gloria Patri.

*Canticum Zachariae. Luce 1.*

**B**enedictus Dominus Deus Israel: quia  
visitauit, & fecit redemptionem plebis  
suæ.

Et erexit cornu salutis nobis: in domo  
Dauid pueri sui.

Sicut locutus est per os sanctorum: qui à  
sæculo sunt, prophetarum eius.

Salutem ex inimicis nostris: & de manu  
omnium, qui oderunt nos.

Ad faciendam misericordiam cum patri-  
bus nostris: & memorari testamenti sui  
sancti.

Iusurandum quod iurauit ad Abraham  
patrem nostrum: daturum se nobis.

Vt sine timore de manu inimicorum no-  
strorum liberati: seruiamus illi.

In sanctitate & iustitia coram ipso: omni-  
bus diebus nostris.

Et tu puer, propheta Altissimi vocaberis:  
præibis enim ante faciem Domini, parare  
vias eius.

Ad dandam scientiam salutis plebi eius: in  
remissionem peccatorum eorum.

Per viscera misericordiae Dei nostri: in

D 3 qui-

54 MANVALIS EXORCISMORVM  
quibus visitauit nos oriens ex alto.

Illuminare his qui in tenebris & in um-  
bra mortis sedent : ad dirigendos pedes no-  
stros in viam pacis. Gloria Patri.

*Symbolum sancti Athanasij.*

**Q**vicumque vult saluus esse : ante om-  
nia opus est ut teneat Catholicam fi-  
dem.

Quam nisi quisque integrum inuiola-  
tamque seruauerit : absque dubio in æter-  
num peribit.

Fides autem Catholica hæc est, vt vnum  
Deum in Trinitate: & Trinitatem in unita-  
te veneremur.

Neque confundentes personas : neque  
substantiam separantes.

Alia est enim persona Patris , alia Filij:  
alia Spiritus sancti.

Sed Patris , & Filij, & Spiritus sancti una  
est diuinitas : æqualis gloria , coæterna ma-  
iestas.

Qualis Pater , talis Filius : talis Spiritus  
sanctus.

Increatus Pater, increatus Filius : increa-  
tus Spiritus sanctus.

Immensus Pater, immensus Filius : im-  
mensus Spiritus sanctus.

Æternus Pater, æternus Filius : æternus  
Spiritus sanctus.

Et

Et tamē non tres æterni: sed vnuſ æternus.

Sicut non tres increati, nec tres immensi:  
sed vnuſ increatus, & vnuſ immensus.

Similiter omnipotens Pater, omnipotens  
Filius: omnipotens Spiritus sanctus.

Et tamen non tres omnipotentes: sed v-  
nuſ omnipotens.

Ita Deus Pater, Deus Filius: Deus Spi-  
ritus sanctus.

Et tamen non tres Dij: sed vnuſ est Deus.

Ita Dominus Pater, Dominus Filius: Do-  
minus Spiritus sanctus.

Et tamen non tres Domini: sed vnuſ est  
Dominus.

Quia sicut singillatim vnamquamq; per-  
sonam Deum ac Dominum confiteri Chri-  
stiana veritate compellimur: ita tres Deos,  
aut Dominos dicere, Catholica religione  
prohibemur.

Pater à nullo est factus: nec creatus, nec  
genitus.

Filius à Patre solo est: non factus, nec  
creatus, sed genitus.

Spiritus sanctus à Patre & Filio: non fa-  
ctus, nec creatus, nec genitus, sed procedēs.

Vnus ergo Pater, non tres Patres, vnuſ Fi-  
lius, non tres Filij: vnuſ Spiritus sanctus,  
non tres Spiritus sancti.

Et in hac Trinitate nihil prius aut poste-  
rius,

56 MANVALIS EXORCISMORVM  
rius, nihil maius aut minus: sed totæ tres  
personæ coæternæ sibi sunt & coæquales.

Ita ut per omnia, sicut iam suprà dictum  
est, & vnitas in Trinitate: & Trinitas in vni-  
tate veneranda sit.

Qui vult ergo saluus esse: ita de Trini-  
tate sentiat.

Sed necessarium est ad æternam salutem:  
vt incarnationem quoque Domini nostri  
**I E S V** Christi fideliter credat.

Est ergo fides recta, vt credamus & con-  
fitemur: quia Dominus noster **I E S V S C H R I-**  
**T U S D E I F I L I U S**, Deus & homo est.

Deus est ex substantia Patris ante sæcula  
genitus: & homo est ex substantia matris in  
sæculo natus.

Perfectus Deus, perfectus homo: ex ani-  
ma rationali, & humana carne subsistens.

Æqualis Patri secundum diuinitatem:  
minor Patre secundum humanitatem.

Qui licet Deus sit, & homo: non duo ta-  
men, sed vnum est Christus.

Vnus autem non conuersio[n]e diuinitatis  
in carnem: sed assumptione humanitatis  
in Deum.

Vnus omnino non confusione substan-  
tiae: sed vnitate personæ.

Nā sicut anima rationalis & caro vnum est  
homo: ita Deus & homo vnum est Christus.

Qui

Qui passus est pro salute nostra, descendit ad inferos: tertia die resurrexit à mortuis.

Ascendit ad cælos, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis: inde venturus est iudicare viuos & mortuos.

Ad cuius aduentum omnes homines resurgere habent cum corporibus suis: & redituri sunt de factis propriis rationem.

Et qui bona egerunt, ibunt in vitam æternam: qui verò mala, in ignem æternum.

Hæc est fides Catholica: quam nisi quisque fideliter firmiterque crediderit, saluus esse non poterit. Gloria Patri. *Psalmus 90.*

**Q**ui habitat in adiutorio Altissimi: in protectione Dei cæli commorabitur.

Dicet Domino, Susceptor meus es tu, & refugiū meum: Deus meus, sperabo in eum.

Quoniam ipse liberauit me de laqueo venantium: & à verbo aspero.

Scapulis suis obumbrabit tibi: & sub pennis eius sperabis.

Scuto circumdabit te veritas eius: non timebis à timore nocturno.

A sagitta volante in die, à negotio perambulante in tenebris: ab incursu, & dæmonio meridiano.

Cadent à latere tuo mille, & decem milia à dextris tuis: ad te autem non appropinquabit.

58 MANVALIS EXORCISMORVM

Verumtamen oculis tuis considerabis : & retributionem peccatorum videbis.

Quoniam tu es Domine spes mea: altissimum posuisti refugium tuum.

Non accedet ad te malum : & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.

Quoniam Angelis suis mandauit de te: ut custodiant te in omnibus viis tuis.

In manibus portabunt te: ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.

Super aspidem & basiliscum ambulabis: & conculcabis leonem & draconem.

Quoniam in me sperauit , liberabo eum: protegam eum , quoniam cognouit nomen meum.

Clamabit ad me, & ego exaudiam eum: cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum.

Longitudine dierum replebo eum , & ostendam illi salutare meum.

Gloria Patri.

*Psalmus 67.*

**E**Xurgat Deus, & dissipetur inimici eius: & fugiant, qui oderūt eum, à facie eius.

Sicut deficit fumus , deficiant : sicut fluit cera à facie ignis , sic pereant peccatores à facie Dei.

Et iusti epulentur , & exultent in conspectu Dei : & delectentur in lætitia.

Cantate Deo, psalmū dicite nomini eius:

iter

iter facite ei qui ascendit super occasum,  
Dominus nomen illi.

Exultate in conspectu eius: turbabuntur  
à facie eius, patris orphanorum, & iudicis  
viduarum.

Deus in loco sancto suo: Deus, qui inha-  
bitare facit vnius moris in domo.

Qui educit viñtos in fortitudine: simi-  
liter eos qui exasperant, qui habitant in se-  
pulchris.

Deus cùm egredereris in conspectu po-  
puli tui: cùm pertransires in deserto.

Terra mota est, etenim cæli distillauerunt  
à facie Dei Sinai: à facie Dei Israel.

Pluuiam voluntariam segregabis Deus  
hereditati tuæ, & infirmata est: tu verò per-  
fecisti eam.

Animalia tua habitabunt in ea: parasti in  
dulcedine tua pauperi Deus.

Dominus dabit verbum euangelizanti-  
bus: virtute multa.

Rex virtutum dilecti dilecti: & speciei  
domus diuidere spolia.

Si dormiatis inter medios clerós, pennæ  
columbæ deargentatæ: & posteriora dorsi  
eius in pallore auri.

Dum discernit cælestis reges super eam,  
niue dealbabuntur in Selmon: mons Dei,  
mons pinguis.

Mons

60 MAN VALIS EX ORCIS M O R V M

Mons coagulatus , mōns pinguis : vt quid  
suspicamini montes coagulatos?

Mons , in quo bene placitum est Deo ha-  
bitare in eo : etenim Dominus habitabit in  
finem.

Currus Dei decem millibus multiplex,  
millia lētantium: Dominus in eis in Sina in  
sancto.

Ascendisti in altum, cepisti captiuitatem:  
accepisti dona in hominibus.

Etenim non credentes: inhabitare Domi-  
num Deum.

Benedictus Dominus die quotidie: pro-  
sperum iter faciet nobis Deus salutarium  
nostrorum.

Deus noster , Deus saluos faciendi : &  
Domini Domini exitus mortis.

Verumtamen Deus confringet capita ini-  
micorum suorum : verticem capilli peram-  
bulantium in delictis suis.

Dixit Dominus , Ex Basan conuertam:  
conuertam in profundum maris.

Vt intingatur pes tuus in sanguine : lin-  
gua canum tuorum ex inimicis ab ipso.

Viderunt ingressus tuos Deus: ingressus  
Dei mei, regis mei, qui est in sancto.

Præuenerunt principes coniuncti psal-  
lentibus: in medio iuuicularum tympa-  
nistriarum.

In

In ecclesiis benedicite Deo Domino : de  
fontibus Israel.

Ibi Beniamin adolescentulus : in mentis  
excessu.

Principes Iuda, duces eorum : principes  
Zabulon, principes Nephthali.

Manda Deus virtuti tuæ : confirma hoc  
Deus, quod operatus es in nobis.

A templo tuo in Ierusalem : tibi offerent  
reges munera.

Increpa feras arundinis , congregatio tau-  
rorum in vaccis populorum : vt excludant  
eos, qui probati sunt argento.

Dissipa gentes , quæ bella volunt, venient  
legati ex Ægypto : Æthiopia præueniet ma-  
nus eius Deo.

Regna terræ cantate Deo : psallite Do-  
mino.

Psallite Deo , qui ascendit super cælum  
cæli: ad Orientem.

Ecce dabit voci suæ vocem virtutis , date  
gloriam Deo super Israel : magnificentia  
eius, & virtus eius in nubibus.

Mirabilis Deus in Sanctis suis, Deus Israel  
ipse dabit virtutem & fortitudinem plebi  
suæ : benedictus Deus.

Gloria Patri, & Filio.                   *Psalmus 69.*

**D**eus in adiutorium meum intende:  
Domine ad adiuuandum me festina.

Con-

Confundantur & reuereantur: qui quæ-  
runt animam meam.

Auertantur retrosum, & erubescant: qui  
volunt mihi mala.

Auertantur statim erubescentes: qui di-  
cunt mihi, Euge, euge.

Exultent & lætentur in te omnes qui quæ-  
runt te: & dicant semper, Magnificetur  
Dominus, qui diligunt salutare tuum.

Ego verò egenus & pauper sum: Deus ad-  
iuua me.

Adiutor meus, & liberator meus es tu:  
Domine ne moreris.

Gloria Patri.

*Psalmus 53.*

**D**eus in nomine tuo saluum me fac: &  
in virtute tua iudica me.

Deus exaudi orationem meam: auribus  
percipe verba oris mei.

Quoniam alieni insurrexerunt aduersum  
me, & fortes quæsierunt animam meam: &  
non proposuerunt Deum ante conspectum  
suum.

Ecce enim Deus adiuuat me: & Dominus  
susceptor est animæ meæ.

Auerte mala inimicis meis: & in veritate  
tua disperde illos.

Voluntariè sacrificabo tibi: & confitebor  
nomini tuo Domine, quoniam bonum est.

Quoniam ex omni tribulatione eripuisti  
me:

me: & super inimicos meos despexit oculus meus.

Gloria Patri, & Filio.

*Psalmus 117.*

**C**onsiterni Domino quoniam bonus:  
quoniam in sæculum misericordia eius.

Dicat nunc Israel quoniam bonus: quo-  
niam in sæculum misericordia eius.

Dicat nunc domus Aaron: quoniam in  
sæculum misericordia eius.

Dicant nunc qui timent Dominum: quo-  
niam in sæculum misericordia eius.

De tribulatione inuocavi Dominum: &  
exaudiuit me in latitudine Dominus.

Dominus mihi adiutor: non timebo quid  
faciat mihi homo.

Dominus mihi adiutor: & ego despiciam  
inimicos meos.

Bonum est confidere in Domino: quam  
confidere in homine.

Bonum est sperare in Domino: quam spe-  
rare in principibus.

Omnes gentes circuierunt me: & in no-  
mine Domini quia vltus sum in eos.

Circumdantes circumdederunt me: & in  
nomine Domini quia vltus sum in eos.

Circumdederunt me sicut apes, & exar-  
serunt sicut ignis in spinis: & in nomine Do-  
mini quia vltus sum in eos.

Im-

64 M A N V A L I S E X O R C I S M O R V M

Impulsus euersus sum vt caderem: & Do-  
minus suscepit me.

Fortitudo mea, & laus mea Dominus: &  
factus est mihi in salutem.

Vox exultationis & salutis: in tabernacu-  
lis iustorum.

Dextera Domini fecit virtutem, dextera  
Domini exaltauit me: dextera Domini fe-  
cit virtutem.

Non moriar, sed viuam: & narrabo opera  
Domini.

Castigans castigauit me Dominus: &  
morti non tradidit me.

Aperite mihi portas iustitiae , ingressus in  
eas confitebor Domino: hæc porta Domi-  
ni, iusti intrabunt in eam.

Confitebor tibi quoniam exaudisti me:  
& factus es mihi in salutem.

Lapidem, quem reprobauerunt ædifican-  
tes: hic factus est in caput anguli.

A Domino factum est istud : & est mira-  
bile in oculis nostris.

Hæc est dies quam fecit Dominus: exul-  
temus & lætemur in ea.

O Domine , saluum me fac , ô Domine  
benè prosperare: benedictus qui venit in  
nomine Domini.

Benediximus vobis de domo Domini:  
Deus Dominus, & illuxit nobis.

Con-

Constituite diem solemnem in condensis: usque ad cornu altaris.

Deus meus es tu, & confitebor tibi: Deus meus es tu, & exaltabo te.

Confitebor tibi quoniam exaudisti me: & factus es mihi in salutem.

Confitemini Domino quoniam bonus: quoniam in saeculum misericordia eius.

Gloria Patri.

*Psalmus 34.*

**I**Udica Domine nocentes me: expugna impugnantes me.

Apprehende arma & scutum: & exurge in adiutorium mihi.

Effunde frameam, & conclude aduersus eos, qui persequuntur me: dic animæ meæ, Salus tua ego sum.

Confundantur & reuereantur: querentes animam meam.

Auertantur retrorsum, & confundantur: cogitantes mihi mala.

Fiant tamquam puluis ante faciem venti: & Angelus Domini coartans eos.

Fiat via illorum tenebrae & lubricum: & Angelus Domini persequens eos.

Quoniam gratis absconderunt mihi interitum laquei sui: superuacue exprobrauerunt animam meam.

Veniat illi laqueus quem ignorat, & captio  
E                    quam

66 MANVALIS EXORCISMORVM  
quam abscondit, apprehendat eum: & in  
laqueum cadat in ipsum.

Anima autem mea exultabit in Domino:  
& delectabitur super salutari suo.

Omnia ossa mea dicent: Domine, quis si-  
milis tibi?

Eripiens inopem de manu fortiorum  
eius: egenum & pauperem à diripientibus  
eum.

Surgentes testes iniqui: quæ ignorabam,  
interrogabant me.

Retribuebant mihi mala pro bonis: sti-  
rilitatem animæ meæ.

Ego autem cùm mihi molesti essent: in-  
duebar cilicio.

Humiliabam in ieunio animam meam:  
& oratio mea in sinu meo conuertetur.

Quasi proximum, & quasi fratrem no-  
strum, sic complacebam: quasi lugens &  
contristatus sic humiliabar.

Et aduersum me lœtati sunt, & conuene-  
runt: congregata sunt super me flagella, &  
ignoraui.

Dissipati sunt, nec compuncti, tentau-  
erunt me, subsannauerunt me subsannatio-  
ne: frenduerunt super me dentibus suis.

Domine, quando respicies? restitue ani-  
mam meam à malignitate eorum, à leoni-  
bus ynicam meam.

Con-

Confitebor tibi in ecclesia magna: in populo graui laudabo te.

Non supergaudeant mihi qui aduersantur mihi iniquè: qui oderunt me gratis, & annuunt oculis.

Quoniam mihi quidem pacificè loquebantur: & in iracundia terræ loquentes, dolos cogitabant.

Et dilatauerunt super me os suum: dixerunt, Euge, euge, viderunt oculi nostri.

Vidisti Domine, ne fileas: Domine ne discedas à me.

Exurge, & intende iudicio meo: Deus meus & Dominus meus in causam meam.

Iudica me secundùm iustitiam tuam Domine Deus meus: & non supergaudeant mihi.

Non dicant in cordibus suis, Euge, euge, animæ nostræ: nec dicant, Deuorauimus cum.

Erubescant & reuereantur simul: qui gratulantur malis meis.

Induantur confusione & reuerentia: qui magna loquuntur super me.

Exultent & lætentur qui volunt iustitiam meam: & dicant semper, Magnificetur Dominus, qui volunt pacem servi eius.

Et lingua mea meditabitur iustitiā tuam: tota die laudem tuam.    Gloria Patri.

E 2                  Psal-

**I**N te Domine speravi, non confundar in  
æternum: in iustitia tua libera me.

Inclina ad me aurem tuam: accelera vt  
eruas me.

Esto mihi in Deum protectorem, & in  
domum refugij: vt saluum me facias.

Quoniam fortitudo mea & refugium  
meum es tu: & propter nomen tuum dedu-  
ces me, & enutries me.

Educes me de laqueo hoc, quē absconde-  
runt mihi: quoniam tu es protector meus.

In manus tuas cōmendo spiritum meum:  
redemisti me Domine Deus veritatis.

Odisti obseruātes vanitates: superuacuē.  
Ego autem in Domino speravi: exultabo,  
& lætabor in misericordia tua.

Quoniam respexisti humilitatem meam:  
saluasti de necessitatibus animam meam.

Nec conclusisti me in manibus inimici:  
statuisti in loco spatiose pedes meos.

Miserere mei Domine, quoniam tribu-  
lor: conturbatus est in ira oculus meus, ani-  
ma mea, & venter meus.

Quoniam defecit in dolore vita mea: &  
anni mei in gemitibus.

Infirmata est in paupertate virtus mea:  
& ossa mea conturbata sunt.

Super omnes inimicos meos factus sum  
oppo-

opprobrium & vicinis meis valde: & timor  
notis meis.

Qui videbant me , foras fugerunt à me:  
obliuioni datus sum tamquam mortuus à  
corde.

Factus sum tamquam vas perditum: quo-  
niā audiui vituperationem multorum  
commorantium in circuitu.

In eo dum conuenirent simul aduersum  
me : accipere animam meam consiliati  
sunt.

Ego autem in te sperauī Domine: dixi,  
Deus meus es tu , in manibus tuis fortis  
meæ.

Eripe me de manu inimicorum meorum:  
& à persequentibus me.

Illustra faciem tuam super seruum tuum,  
saluum me fac in misericordia tua : Domi-  
ne non confundar, quoniam inuocauī te.

Erubescant impij, & deducantur in infer-  
num : muta fiant labia dolosa.

Quæ loquuntur aduersus iustum iniqui-  
tatem: in superbia, & in abusione.

Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ  
Domine: quam abscondisti timentibus te.

Perfecisti eis, qui sperant in te: in con-  
spectu filiorum hominum.

Abscondes eos in abscondito faciei tuæ:  
à conturbatione hominum.

70 M ANVALIS EXORCISMORVM

Proteges eos in tabernaculo tuo: à contradictione linguarum.

Benedictus Dominus: quoniam mirificauit misericordiam suam mihi in ciuitate munita.

Ego autem dixi in excessu mentis meæ: Proiectus sum à facie oculorum tuorum.

Ideò exaudisti vocem orationis meæ: dum clamarem ad te.

Diligite Dominum omnes sancti eius: quoniam veritatem requiret Dominus, & retribuet abundanter facientibus superbiam.

Viriliter agite, & confortetur cor vestrum: omnes qui speratis in Domino.

Gloria Patri.

*Psalmus 21.*

**D**eus Deus meus, respice in me, quare me dereliquisti? longè à salute mea verba delictorum meorum.

Deus meus clamabo per diem, & non exaudies: & nocte, & non ad insipientiam mihi.

Tu autem in sancto habitas: laus Israel.

In te sperauerunt patres nostri: sperauerunt, & liberasti eos.

Ad te clamauerunt, & salui facti sunt: in te sperauerunt, & non sunt confusi.

Ego autem sum vermis, & non homo: opprobrium hominum, & abiectione plebis.

Omnès videntes me, deriserunt me: locuti

locuti sunt labiis , & mouerunt caput.

Sperauit in Domino, eripiat eum: saluum faciat eum, quoniam vult eum.

Quoniam tu es qui extraxisti me de ventre: spes mea ab uberibus matris meæ, in te proiectus sum ex utero.

De ventre matris meæ Deus meus es tu: ne discesseris à me.

Quoniam tribulatio proxima est: quoniam non est qui adiuuet.

Circumdederunt me vituli multi: tauri pingues obsederunt me.

Aperuerunt super me os suum : sicut leo rapiens & rugiens.

Sicut aqua effusus sum : & dispersa sunt omnia ossa mea.

Factum est cor meum tamquam cera liquecens: in medio ventris mei.

Aruit tamquam testa virtus mea , & lingua mea adhæsit faucibus meis : & in puluem mortis deduxisti me.

Quoniam circumdederunt me canes multi : concilium malignantium obsedit me.

Foderunt manus meas & pedes meos : dinumerauerunt omnia ossa mea.

Ipsi verò considerauerunt, & inspexerunt me: diuiserunt sibi vestimenta mea , & super vestem meam miserunt sortem.

72 MANVALIS EXORCISMORVM

Tu autem Domine ne elongaueris auxilium tuum à me: ad defensionem meam conspice.

Erue à framea Deus animam meam: & de manu canis vnicam meam.

Salua me ex ore leonis: & à cornibus unicornium humilitatem meam.

Narrabo nomen tuum fratribus meis: in medio ecclesiæ laudabo te.

Qui timetis Dominum, laudate eum: vniuersum semen Iacob glorificate eum.

Timeat eum omne semen Israel: quoniam non spreuit, neque despexit deprecationem pauperis.

Nec auertit faciem suam à me: & cùm clamarem ad eum, exaudiuit me.

Apud te laus mea in ecclesia magna: vota mea reddam in conspectu timentium eum.

Edent pauperes, & saturabuntur, & laudabunt Dominum qui requirunt eum: vivent corda eorum in sæculum sæculi.

Reminiscentur, & conuertentur ad Dominum: vniuersi fines terræ.

Et adorabunt in conspectu eius: vniuersæ familiae gentium.

Quoniam Domini est regnum: & ipse dominabitur gentium.

Manducauerunt, & adorauerunt omnes pingues terræ: in conspectu eius cadent om-

omnes, qui descendunt in terram.

Et anima mea illi viuet: & semen meum seruiet ipsi.

Annuntiabitur Domino generatio ventura: & annuntiabunt cæli iustitiam eius, populo qui nascetur, quem fecit Dominus.

Gloria Patri. *Psalmus 3.*

**D**omine, quid multiplicati sunt qui tribulant me? multi insurgunt aduersum me.

Multi dicunt animæ meæ: Non est salus ipsi in Deo eius.

Tu autem Domine susceptor meus es: gloria mea, & exaltans caput meum.

Voce mea ad Dominum clamaui: & exaudiuit me de monte sancto suo.

Ego dormiui, & soporatus sum: & exurexi, quia Dominus suscepit me.

Non timebo millia populi circumdantis me: exurge Domine, saluum me fac Deus meus.

Quoniam tu percussisti omnes aduentantes mihi sine causa: dentes peccatorum contriuisti.

Domini est salus: & super populum tuum benedictio tua. Gloria Patri. *Psalmus 10.*

**I**n Domino confido, quomodo dicitis animæ meæ: Transmigra in montem sicut passer?

E 5

Quo-

74 MANVALIS EXORCISMORVM

Quoniam ecce peccatores intenderunt  
arcum, parauerunt sagittas suas in pharetra:  
vt sagittent in obscuro rectos corde.

Quoniam quæ perfecisti destruxerunt:  
iustus autem quid fecit?

Dominus in templo sancto suo : Domi-  
nus in cælo sedes eius.

Oculi eius in pauperem respiciunt: palpe-  
bræ eius interrogant filios hominum.

Dominus interrogat iustum & impium:  
qui autem diligit iniquitatem, odit animam  
suam.

Pluet super peccatores laqueos: ignis, &  
sulphur, & spiritus procellarum pars calicis  
eorum.

Quoniam iustus Dominus , & iustitias  
dilexit : æquitatem vedit vultus eius.

Gloria Patri.

*Psalms 12.*

**V**SQUEQUÒ Domine obliuiscēris me in  
finem : vsquequò auertis faciem tuam  
à me?

Quamdiu ponam consilia in anima mea:  
dolorem in corde meo per diem?

Vsquequò exaltabitur inimicus meus su-  
per me ? respice , & exaudi me Domine  
Deus meus.

Illumina oculos meos , ne vñquam ob-  
dormiam in morte: ne quando dicat inimi-  
cus meus, Præualui aduersus eum.

Qui

Qui tribulant me , exultabunt si motus  
fuerō : ego autem in misericordia tua spe-  
raui.

Exultabit cor meum in salutari tuo , can-  
tabo Domino qui bona tribuit mihi : &  
psallam nomini Domini altissimi.

Gloria Patri.

## M O D U S   E X O R C I Z A N D I

ex Pastorali Mechliniensi.

**C**ONVENIT , ut Exorcista ante  
actionem per piam recollectionem se  
ad eum statum componat , qui maxi-  
mè conueniat ad ferēdum suppetias  
proximo afflīctō , aduersus tam pestilentem ho-  
stem . Proinde ordiatur actionem ab inuocatio-  
ne sancti Spiritus , per quam statim ab initio  
omnem spem exspectati auxiliū transferat à se  
in benignissimum Dominum & Salvatorem  
nostrum , & eādem etiam astantes omnes respi-  
cere doceat : vitet autem turbam illorum , qui  
curiositate vana non ad cooperandum , sed ad  
videndum concurrere solent .

Actionem autem ad liberationem hominis  
à demone obſeffi , ſic instituere potest Sacerdos :  
Assumpto habitu Ecclesiastico , ut minimum ſu-  
perpelliceo & ſtola , etiam afflīcti collum altera  
ſtola obuoluat , per quam quasi in tutelam eum  
affu-

76 MANVALIS EXORCISMORVM  
assumat, & sibi iungat, ut in maiorem fiduciam  
erigatur. Deinde post humilem inuocationem  
sancti Spiritus, & adstantium monitionem, ut  
suas preces cum Sacerdotis actione coniungant.  
Et muniens seipsum signo Crucis, dicat clara  
voce: In nomine Patris, & Filii, & Spiritus  
sancti. Amen. *Vers.* Domine exaudi ora-  
tionem meam. *Resp.* Et clamor meus ad te  
veniat. *Vers.* Dominus vobiscum. *Resp.* Et  
cum spiritu tuo. Oremus.

**O**Mnipotens Domine, Verbum Dei  
Patris, Christe Iesu, qui sanctis Apo-  
stolis tuis dedisti potestatem calcandi super  
serpentes & scorpiones, & super omnem  
virtutem inimici; & cuius virtute victus,  
tamquam fulgur de cælo, satanas cecidit:  
tuum nomen tremens supplexq; deprecor,  
vt mihi indignissimo seruo tuo data venia  
peccatorum, confidentiam & virtutem do-  
nare digneris, vt hunc crudelem draconem  
brachij tui potentia securus aggrediar. Qui  
viuis & regnas cum Deo Patre, &c. *Resp.* A-  
men. Oremus.

**O**Mnipotens sempiterne Deus, à cuius  
facie cæli distillant, montes sicut cera  
liquescunt, terra tremit, cui patent abyssi,  
quem infernus pauescit: te supplex depre-  
cor, vt inuocatione tui nominis huius fa-  
muli tui [ famulæ tuæ ] N. anima à ve-  
xatio-

M  
ciam  
nem  
, vt  
ant.  
lara  
titus  
ora-  
d te  
. Et  
Dei  
po-  
per  
em  
rus,  
dit:  
or,  
nia  
lo-  
em  
ui  
A-  
us  
ra  
si,  
e-  
a.  
e-  
D-  
PARS SECUNDA. 77

xatione liberata, ad auctorem suæ salutis  
recurrat, liberatoremque suum, diaboli-  
co depulso fœtore, & odore suauissimo  
Spiritus sancti percepto, sequatur Domi-  
num nostrū Iesum Christum filium tuum.  
Qui tecum viuit & regnat, &c. *Resp.* Amen.

Tunc energumenus, si posset, clara voce dicat  
*Symbolum Apostolorum*, präeunte Sacerdote,  
qui statim dicat *Vers.* Benedicamus Patrem,  
& Filium, cum sancto Spiritu. *Resp.* Laude-  
mus & superexalte mus eum in sæcula.  
*Vers.* Dominus vobiscum. *Resp.* Et cum spi-  
ritu tuo. *Oremus.*

**O** Mnipotens sempiterne Deus, qui de-  
disti famulis tuis in confessione veræ  
fidei, æternæ Trinitatis gloriam agnoscere,  
& in potentia maiestatis adorare unitatem:  
quæsumus, ut eiusdem fidei firmitate, ab  
omnibus semper muniamur aduersis. Per  
Christum Dominum nostrum. *Resp.* Amen.

Deinde dicat Euangelia quæ sequuntur, si-  
gnans in principio librum, deinde frontem, os,  
& pectus suum, ac postremò frontem energume-  
ni: cuilibet Euangelio präponens *Vers.* Domi-  
nus vobiscum. *Resp.* Et cum spiritu tuo.

*Vers.* Sequentia sancti Euangeli secundum  
Matthæum. *Resp.* Gloria tibi Dñe. Cap. 17.

**I**N illo tempore: Accessit ad Iesum homo  
genibus prouolutus ante eum, dicens:  
Domi-

Domine, miserere filio meo , quia lunaticus est, & malè patitur: nam sæpè cadit in ignē, & crebrò in aquam . & obtuli eum discipulis tuis , & non potuerunt curare eum . Respondens autem Iesus, ait : O generatio incredula , & peruersa , quousque ero vobis cum? vsquequā patiar vos? Afferte huc illum ad me . Et increpauit illum Iesus , & exiit ab eo dæmonium , & curatus est puer ex illa hora. Tunc accesserunt discipuli ad Iesum secretō, & dixerunt: Quare nos non potuimus eiicere illum ? Dixit illis Iesus: Propter incredulitatem vestram . Amen quippe dico vobis , si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis monti huic, Trans hinc illuc: & transibit, & nihil impossibile erit vobis. Hoc autem genus non eiicitur, nisi per orationem & ieunium.

*Vers.* Sequentia sancti Euangeli secundūm Marcum. *Resp.* Gloria tibi Dñe. *Cap. vlt.*

**I**N illo tempore : Recumbentibus vnde cim discipulis, apparuit illis Iesus : & exprobrauit incredulitatem eorum , & duri tam cordis : quia his qui viderant eum surrexisse, non crediderunt . Et dixit eis. Euntes in mundum vniuersum , prædicate Euangelium omni creaturæ. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit. Qui verò non crediderit, condemnabitur. Signa au tem

tem eos qui crediderint, hæc sequentur. In nomine meo dæmonia eiicient, linguis loquentur nouis, serpentes tollent. Et si mortiferum quid biberint, non eis nocebit. Super ægros manus imponent, & benè habebunt. Et Dominus quidem Iesus, postquam locutus est eis, assumptus est in cælum: & sedet à dextris Dei. Illi autem profecti, prædicauerunt vbiique: Domino cooperante, & sermonem confirmante, sequentibus signis.

*Vers.* Sequentia sancti Euangeli secundum Lucam. *Resp.* Gloria tibi Domine. *Cap. 4.*

**I**N illo tempore: Descendit Iesus in Capernaum, ciuitatem Galilææ: ibique docebat illos sabbatis. Et stupebant in doctrina eius, quia in potestate erat sermo ipsius. Et in synagoga erat homo, habens dæmonium immundum; & exclamauit voce magna, dicens: Sine, quid nobis, & tibi Iesu Nazarene? venisti perdere nos? scio te quis sis, Sanctus Dei. Et increpauit illum Iesus, dicens: Obmutesce, & exi ab eo. Et cum proiecisset illum dæmonium in medium, exiit ab illo, nihilque illum nocuit.

*Vers.* Sequentia sancti Euangeli secundum Ioannem. *Resp.* Gloria tibi Dñe. *Cap. 12.*

**I**N illo tempore: Dixit Iesus turbis Iudæorum. Nunc iudicium est mudi: nunc prin-

80 MANVALIS EXORCISMORVM  
princeps huius mundi ejcietur foras. Et ego  
si exaltatus fuero à terra , omnia traham ad  
me ipsum. Hoc autem dicebat , significans  
qua morte esset moriturus. Respōdit ei tur-  
ba. Nos audiuimus ex lege , quia Christus  
manet in æternum : & quomodo tu dicas,  
oportet exaltari filium hominis ? Quis est  
iste filius hominis? Dixit ergo eis Iesus. Ad-  
huc modicum lumen in vobis est. Ambula-  
te dum lucem habetis : vt non tenebræ vos  
comprehēdant. Et qui ambulat in tenebris,  
nescit quò vadat. Dum lucem habetis , cre-  
dite in lucem , vt filij lucis sitis.

*Finitis Euāgelijs, Sacerdos osculatur librum,*  
*dicens , Per Euāngelica dicta, deleantur no-*  
*stra delicta.*

*Deinde ponit librum super caput energume-*  
*ni. Postea imponens super obsefsum extremam*  
*partem stola,dicit: Vers. Adiutorium nostrum*  
*in nomine Domini. Resp. Qui fecit cælum*  
*& terram. Exorcizo te immunde spiritus*  
*per Pa±trem, & Fi±lium , & Spiritum±san-*  
*ctum , vt ex eas & recedas ab hoc famulo*  
*[ famula ] Dei N. ipse enim tibi imperat*  
*maledicte, damnate, qui pedibus super mare*  
*ambulauit, & Petro, ne mergeretur, dexte-*  
*ram porrexit; qui cæco nato oculos aperuit,*  
*& quatriduanum Lazarum de monumen-*  
*to suscitauit. Ergo maledicte diabole, recog-*  
*nosce*

nosce sententiam tuam , & da honorem  
Deo viuo ✕ & vero . Da honorem Iesu ✕  
Christo Filio eius , & Spiritui ✕ sancto , &  
recede ab hoc famulo [hac famula] Dei N.  
& hoc signum sancte ✕ Crucis , quod nos  
fronti eius damus , tu maledicte diabole,  
numquam audeas violare : Per eum qui  
venturus est iudicare viuos & mortuos , &  
sæculum per ignem . *Resp.* Amen .

Audi maledicte satana , adiuratus per no-  
men æterni Dei , & Saluatoris nostri Iesu  
Christi , filij eius , cum tua victus inuidia , tre-  
mens gemensq; discede : nihil sit tibi com-  
mune cum seruo [famula] Dei N. Da igi-  
tur honorem aduenienti Spiritui sancto , qui  
ex summa cæli arce descendens , perturbatis  
fraudibus tuis , mundum sibi templum &  
habitaculum perficiat , ut ab omni penitus  
vexatione liberatus seruus [liberata ancil-  
la] Dei , gratias perenni Deo referat semper ,  
& benedicat nomen eius in sæcula sæculo-  
rum . *Resp.* Amen .

*Postea sacerdos tenens manus super caput  
energumeni dicat:* Nec te lateat satana , im-  
minere tibi poenas , imminere tibi tormenta , im-  
minere tibi diem iudicij , diemque sup-  
plicij sempiterni , diem qui venturus est vel-  
ut clibanus ardens , in quo tibi atque uni-  
uersis angelis tuis æternus superueniet in-

F teritus .

82 MANVALIS EXORCISMORVM  
teritus. Proinde damnate atque damnande,  
da honorem Deo viuo & vero, da honorem  
Iesu Christo filio eius, & Spiritui sancto, in  
cuius nomine atque virtute ego præcipio ti-  
bi, quicumq; es, spiritus immunde, ut ex eas &  
recedas ab hoc famulo [hac famula] Dei N.  
quem [quam] Deus & Dominus noster Ie-  
sus Christus pretiosissimis Sanguine suo redime-  
re dignatus est, Qui venturus est iudicare  
viuos & mortuos, & sæculum per ignem.  
*Resp.* Amen.

Exi spiritus immunde ab hac creatura  
Dei, nec in eam præsumas amplius introire.  
Ipse tibi imperat maledicte diabole, qui te  
de supernis cælorum, in inferiora terræ de-  
mergi, qui te retrorsum abire præcepit. Tu  
ergo nequissime spiritus, humani generis  
inimice, mortis adductor, vitæ raptor, iusti-  
tiæ declinator, malorum radix, seductor ho-  
minum, incitator inuidiæ, causa discordiæ,  
pater mendacij: illum metue, qui in Isaac  
immolatus est, in Joseph venimus datus, in  
agno occisus, in homine crucifixus; qui de-  
inde inferni triumphator existit gloriosus.  
Recede ergo in nomine Patris, & Filii,  
& Spiritus sancti, ab hoc famulo [hac fa-  
mula] Dei, & ne amplius introeras in eum,  
[eam,] in virtute Domini nostri Iesu Chri-  
sti, qui venturus est iudicare viuos & mor-  
tuos,

tuos, & sæculum per ignem. *Resp.* Amen.

*Postea sacerdos accepta Cruce, dicat:* Ecce lignum sanctissimæ Crucis, fugite partes aduersæ, vicit enim vos & mundum Dominus Iesus Christus, Filius Dei, Imperator summus, leo de tribu Iuda, radix David.

*Crucem det energumeno osculandam, dicens cum eo simul:* Adoramus te Christe, & benedicimus tibi, quia per sanctam Crucem tuam redemisti mundum.

*Deinde sacerdos dicat:* Kyrie eleison. Christe eleisō. Kyrie eleison. Pater noster. *Vers.* Et ne nos inducas in temptationem. *Resp.* Sed libera nos à malo. *Vers.* Exurgat Deus, & dissipentur inimici eius. *Resp.* Et fugiant qui oderunt eum à facie eius. *Vers.* Saluum fac seruum tuum. [ancillam tuam.] *Resp.* Deus meus sperantem in te. *Vers.* Nihil proficiat inimicus in eo. [ea.] *Resp.* Et filius iniquitatis non apponat nocere ei. *Vers.* Esto ei Domine turris fortitudinis. *Resp.* A facie inimici. *Vers.* Domine exaudi orationem meam. *Resp.* Et clamor meus ad te veniat. *Vers.* Dominus vobiscum. *Resp.* Et cum spiritu tuo.

Oremus.

**D**eus, qui culpa offenderis, pœnitentia placaris: preces populi tui supplicantis propitius respice, & flagella tuæ iracundia, quæ pro peccatis nostris meremur, auerte.

F 2

Om-

**O**Mnipotens sempiterne Deus, salus & a-  
terna credentium: exaudi nos pro fa-  
mulo tuo infirmo, [ famula tua infirma,]  
pro quo [qua] misericordiae tuæ implora-  
mus auxilium: ut reddit sibi sanitatem, gra-  
tiarum tibi in Ecclesia tua referat actiones.

**H**Ostium nostrorum, quæsumus Domi-  
ne, elide superbiam: & eorum contu-  
maciam dexteræ tuæ virtute prosterne.

**D**EUS qui contritorum non despicias ge-  
mitum; & inœrentium non spernis af-  
fectū; adesto supplicationibus nostris, quas  
tibi pro tribulatione nostra effundimus, eas-  
que clementer exaudi: ut quidquid contra  
nos diabolicæ atque humanæ moliuntur  
aduersitates, ad nihilum redigatur, & con-  
silio tuæ pietatis allidatur; quatenus nullis  
aduersitatibus læsi, sed de omni tribulatio-  
ne & angustia erepti, læti in Ecclesia tua  
gratias referamus. Per Dñm nostrum, &c.  
*Resp. Amen.*

*Potest etiam dici Oratio, Deus qui corda fi-  
delium. & Oratio, Concede nos famulos  
tuos. & Oratio illius Sancti, cuius nomine vo-  
catur ipse, [ipsa,] qui [qua] vexatur: & ora-  
tiones aliorum Sanctorū, quos maiori deuotio-  
ne colimus. Possunt dici & aliæ deuote Oratio-  
nes, cum compunctione, & cordis contritione,  
implorando semper misericordiam Dei. Legat  
etiam*

etiam Psalmum Iudica Domine nocentes  
me. fol. 65. & Psalm. 58.

**E**Ripe me de inimicis meis Deus meus:  
& ab insurgentibus in me libera me.

Eripe me de operantibus iniquitatem: &  
de viris sanguinum salua me.

Quia ecce ceperunt animam meam: ir-  
ruerunt in me fortis.

Neque iniquitas mea, neque peccatum  
meū Dñe: sine iniquitate cucurri, & direxi,

Exurge in occursum meum, & vide: &  
tu Domine Deus virtutum, Deus Israel.

Intende ad visitandas omnes gentes: non  
miserearis omnibus qui operantur iniqui-  
tatem.

Conuertentur ad vesperam, & famem  
patientur ut canes: & circuibunt ciuitatem,

Ecce loquentur in ore suo, & gladius in  
labiis eorum: quoniam quis audiuit?

Et tu Domine deridebis eos: ad nihilum  
deduces omnes gentes.

Fortitudinem meam ad te custodiam,  
quia Deus susceptor meus es: Deus meus,  
misericordia eius præueniet me.

Deus ostendet mihi super inimicos meos,  
ne occidas eos: nequando obliuiscantur po-  
puli mei.

Disperge illos in virtute tua: & depone  
eos protector meus Domine,

86 MANVALIS EXORCISMORVM

Delictum oris eorum , sermonem labiorum ipsorum : & comprehendantur in superbia sua.

Et de execratione & mendacio annuntiabantur in consummatione : in ira consummationis , & non erunt.

Et scient quia Deus dominabitur Iacob : & finium terræ,

Conuertentur ad vesperam , & famem patientur ut canes : & circuibunt ciuitatem,

Ipsi dispergentur ad manducandum : si verò non fuerint saturati , & murmurabunt.

Ego autem cantabo fortitudinem tuam & exultabo manè misericordiam tuam,

Quia factus es susceptor meus : & refugium meum in die tribulationis meæ.

Adiutor meus tibi psallam , quia Deus susceptor meus es: Deus meus misericordia mea. Gloria Patri.

Item Psalmum Exurgat Deus. fol. 58. & Psalm. Qui habitat in adiutorio. fol. 57. & Symbolum Athanasij: Quicumq; vult. fol. 54. In fine dicit energumeno, dicens: Benedictio Dei Patris + omnipotentis , & Filij , & Spiritus sancti , descendat super te, & maneat semper. Resp. Amen.

Possunt etiam supra dicta pluries repeti , si demon in vexatione durauerit.

ALTE<sup>o</sup>

**A**LTERA forma exorcismorum ad fugandum dæmonem de corporibus oppressis, vel etiam maleficiatis.

**S**ACERDOS indutus ut suprà, dicit: In nomine Patris +, & Filii +, & Spiritus sancti. *Resp.* Amen. Nos cum prole pia benedicat virgo Maria. Ecce Cru+cem Domini, fugite partes aduersæ: vicit leo de tribu Iuda, radix David. *Vers.* Domine exaudi orationem meam. *Resp.* Et clamor meus ad te veniat. *Vers.* Dominus vobiscum. *Resp.* Et cum spiritu tuo.

**D**eus Angelorum, Deus Archangelorum, Deus Prophetarum, Deus Martyrum, Deus Cōfessorum, Deus Virginum, Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi, inuoco nomen sanctum tuum, ac præclaræ maiestatis tuæ clementiam suppliciter exposco, ut mihi auxilium præstare digneris aduersus hunc nequissimum spiritum, & omnem qui vexat hoc plasma tuum. Per eumdem Christum Dñm, &c. *Resp.* Amen.

Exorcizo te immunde spiritus, omnis incursio aduersarij, omnis ira, omne phantasma, omnis legio, in nomine Domini nostri Iesu Christi, eradicare & effugare ab hoc plasma Dei. Ipse tibi imperat, qui te de supernis cælorum in inferiora terræ demergi

F 4            præce-

88 M A N V A L I S E X O R C I S M O R V M  
præcepit. Audi ergo , & nunc satana victus  
& prostratus abscede , in nomine Domini  
noſtri Iesu Christi. Tu ergo nequissime fa-  
tana , inimice fidei , hostis generis humani,  
mortis adductor, vitæ raptor , iustitiæ decli-  
nator, malorum radix, fomes vitiorum, fe-  
ductor hominum, proditor gentium, incita-  
tor inuidiæ, origo auaritiæ, causa discordiæ,  
excitator dolorum, malorum magister, quid  
ſtas & resistis, cùm ſcias Deum tuas perdere  
vires? Illum metue, qui in Isaac est immola-  
tus, in Ioseph venumdatus, in agno occisus,  
in homine crucifixus, deinde inferni trium-  
phator extitit gloriosus. Recede ergo in no-  
mine Paſtris, & Fiſlij, & Spiritus + sancti.  
Da locum Spiritui sancto , per hoc signum  
Crucis +, *Hic signet Cruce frontem obſeffi.*  
Domini noſtri Iesu Christi : qui cum Patre  
& Spiritu sancto viuit & regnat Deus , per  
omnia ſæcula ſæculorum. *Resp.* Amen.

*Si nondum recesserit spiritus malignus, Sa-*  
*cerdos prosequitur. Vers.* Dominus vobif-  
cum. *Resp.* Et cum spiritu tuo. Oremus.  
**D**eus conditor & defensor humani ge-  
neris, qui hominem ad imaginē tuam  
formasti, respice super hunc famulum tuum  
[hanc famulam tuam] &. qui [quæ] dolis  
inuidi serpentis appetitur, quem [quam] ve-  
rus aduersarius , antiquus hostis terræ, for-  
midi-

midinis horrore circumuolat , & sensum  
mentis humanæ stupore defigit, terrore con-  
turbat, & metu trepidi timoris exagitat. Re-  
pelle Domine virtutem diaboli, fallacesque  
eius insidias amoue: procul impius tentator  
aufugiat. Sit nominis tui signo Crucis ✕ in  
fronte famulus tuus munitus, [ famula tua  
munita, ] & in anima tutus [ tuta ] & cor-  
pore.

*Hic ter faciet signum Crucis in pectoro, dices:*  
Tu pectoris huius ✕ interna custodias. Tu  
viscera ✕ regas. Tu corda ✕ confirmes. In  
anima aduersatricis potestatis tentamenta  
euanescent. Da Domine ad hanc inuoca-  
tionem sanctissimi nominis tui gratiam, vt  
qui hucusque terribat, territus aufugiat, &  
victus abscedat, tibiique possit hic famulus  
tuus [ hæc famula tua ] & corde & mente  
præbere famulatum. Per Christum, &c.

Adiuro te serpens antique , per Iudicem  
viuorum & mortuorum, per factorem tuum,  
per factorem mundi, per eum qui habet po-  
testatem mittendi te in gehennam, vt ab  
hoc famulo [ hac famula ] Dei N. qui [ quæ ]  
ad Ecclesiæ sinum recurrit, festinus disce-  
das. Adiuro te iterum, non mea infirmitate,  
sed virtute Spiritus sancti, vt desistas ab hoc  
famulo [ hac famula ] Dei N. quem [ quam ]  
omnipotens Deus ad imaginem suam fecit.

F 5

Cede

90 MANVALIS EX OXCIS MORM  
Cede igitur , cede, non mihi , sed ministro  
**Christi** . Illius enim te vrget potestas , qui  
te, affixus cruci, subiugauit : illius brachium  
contremisce , qui deuictis gemitibus infer-  
ni, animas ad lucem perduxit. Sit tibi terror  
corpus hominis : sit tibi formido imago  
Dei. Ne resistas, nec moreris discedere ab  
homine ; quoniam complacuit Deo in ho-  
mene habitare. Et ne contemnendum me  
putes , dum me peccatorem esse cognoscis,  
imperat tibi Deus , imperat tibi maiestas  
**Christi** ; imperat tibi Deus Pater , imperat  
tibi Deus Filius, imperat tibi Deus Spiritus  
sanctus; imperat tibi fides Apostolorum Pe-  
tri & Pauli , & ceterorum Sanctorum ; im-  
perat tibi Martyrum sanguis ; imperat tibi  
Sacramentum Cru~~x~~cis; imperat tibi myste-  
riorum virtus. Exi ergo transgressor, exi se-  
duktor, plene omni dolo & fallacia, veritatis  
inimice , innocentium persecutor . Da lo-  
cum durissime, da locum impiissime, da lo-  
cum Christo, in quo nihil inuenisti de ope-  
ribus tuis; qui te spoliauit, qui regnum tuum  
destruxit, qui te victum ligauit, & vasa tua  
diripuit : qui te proiecit in tenebras, ubi tibi  
cum ministris tuis erit præparatus interitus.  
Sed quid truculente recogitas ? quid teme-  
rarie retractas ? reus omnipotenti Deo es,  
cuius statuta transgressus es : reus es Filio  
eius

ei⁹ Iesu Christo Domino nostro, quem tentare ausus es, & crucifigere præsumpsisti: reus es humano generi, cui tuis persuasionibus mortis fructum propinasti.

*Si adhuc non cessauerit, aut recesserit, prosequitur Sacerdos. Vers. Dominus vobiscum.*

*Resp. Et cum spiritu tuo. Oremus.*

**D**omine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Hosanna in excelsis, Pater Domini nostri Iesu Christi, qui illum refugam, tyrannum, & apostatam gehenæ ignibus deputasti: qui Vnigenitum tuum in hunc mundum misisti, ut illum rugientem contereret: velociter attende, accelera, ut eripias hominem, ad imaginem & similitudinem tuam creatum, à ruina & dæmonio meridiano. Da Domine terrorem tuum super bestiam quæ exterminat vineam tuam; da fiduciam seruis tuis, contra nequissimum draconem pugnare fortissimè, ne contemnat sperantes in te, & ne dicat sicut in Pharaone iam dixit, Deum non noui, & Israel non dimittam. Urgeat illum dextera tua, potens expellere à famulo tuo [ famula tua] N. ne diutiū captiuum præsumat tenere hominem, quem tu ad imaginē tuam facere dignatus es: & in Filio tuo redemisti.

*Qui tecum viuit & regnat. Resp. Amen.*

*- Adiuro ergo te draco nequissime, in nomine*

92 MANVALIS EXORCISMORVM  
mine Agni immaculati, qui ambulauit su-  
per aspidem & basiliscum, qui conculcauit  
leonem & draconem: vt discedas  $\ddagger$  ab ho-  
mīne, discedas ad Ecclesia  $\ddagger$ . *Hic producit*  
*signum Crucis super circumstantes.* Contre-  
misce & effuge, inuocato nomine Domini,  
quem inferi tremunt; cui virtutes cælorum,  
potestates & dominationes subiectæ sunt;  
quem Cherubim & Seraphim indefessis  
vocibus laudant: imperat tibi Verbum ca-  
ro factum, imperat tibi natus ex Virgine,  
imperat tibi Iesus Nazarenus, qui te, cùm  
discipulos eius contemneres, elisum atque  
prostratum exire præcepit ab homine; quo  
præsente, cùm te ab homine separasset, nec  
porcorum gregem contingere præsumebas.  
Recede ergo nūc adiuratus in nomine eius  
ab homine quem ipse plasmavit. Durum  
est tibi velle resistere, durum est tibi contra-  
stimulum calcitrare: qui quanto tardius  
exis, tanto maius tibi supplicium crescit:  
quia non homines contemnis, sed illum qui  
venturus est iudicare viuos & mortuos, &  
sæculum per ignem. *Resp.* Amen.

*Si oppressus nondum fuerit liberatus, profe-*  
*quitur Sacerdos. Vers.* Dominus vobiscum.  
*Resp.* Et cum spiritu tuo. *Oremus.*

**O**Mnipotens Domine, Verbum Dei  
Patris, Christe Iesu, Deus & Domi-  
nus

nus vniuersæ creaturæ, qui sanctis Aposto-  
lis tuis dedisti potestatem calcandi super  
serpentes & scorpiones ; qui inter cetera  
mirabilium tuorum præcepta , dignatus es  
docere , dæmones effugare ; cuius virtute  
motus tamquam fulgur de cælo, satanas ce-  
cidit : tuum sanctum nomen cum timore &  
tremore suppliciter deprecor, ut indignissi-  
mo mihi seruo tuo data venia omnium de-  
lictorum meorū , confidentiam & possibili-  
tatem donare digneris, vt hunc crudelē dra-  
conem, brachij tui sancti munitus potentia,  
fiducialiter & securè aggrediar : per te Iesu  
Christe Domine Deus noster: Qui ventu-  
rus es iudicare viuos & mortuos , & sæcu-  
lum per ignem. *Resp.* Amen.

Adiuro ergo te omnis immundissime spi-  
ritus, omne phantasma , omnis incursio fa-  
tanæ, in nomine Iesu Christi + Nazareni,  
qui post lauacrum Iordanis in desertum  
ductus est , & te in tuis sedibus vinxit , vt  
quem de limo terræ ad honorem gloriæ suæ  
formauit , tu definis impugnare : & in ho-  
mīne miserabili nō humanam fragilitatem ,  
sed imaginem omnipotentis Dei contre-  
mīscas. Cede ergo Deo, qui te , humiliato  
famulo suo Job, in seruitutem redigit. Ce-  
de Deo, qui & malitiam tuam in Pharaone ,  
& in eius exercitu per Moysen seruū suum

in

94 MANVALIS EXORCISMORVM  
in abyssum demersit. Cede Deo, qui te per  
Danielem puerum suum perdidit, & draco-  
nem prostravit. Cede Deo, qui te per fide-  
lissimum seruum suum Dauid, de rege Sau-  
le, spiritualibus canticis pulsum fugauit.  
**Cede Deo**, qui te in Iuda Iscariot prodi-  
tore damnauit. Ille enim te diuinis verberi-  
bus angit, in cuius conspectu cum tuis legio-  
nibus tremens & clamans dixisti: **Quid no-**  
**bis & tibi fili Dauid?** venisti ante tempus  
torquere nos? Ille te perpetuis flammis vr-  
geat, qui in fine temporum dicturus est im-  
piis: Ite maledicti in ignem æternum, quem  
præparauit Pater meus diabolo & angelis  
eius. Tibi enim impie & angelis tuis vermes  
erunt, qui numquam morientur: Tibi &  
angelis tuis præparatur inextinguibile in-  
cendium, quia tu es princeps maledicti ho-  
mocidij, tu auctor incestus, tu sacrilegorum  
caput, tu artium pessimarum magister, tu  
hæreticorum doctor, tu totius obscoenitatis  
inuentor. Exi ergo impie, exi scelerate, exi  
cum omni fallacia tua, quia hominem tem-  
plum suum voluit esse Deus. Sed quid diu-  
tiū moraris hīc? Da honorem Deo Patri  
omnipotenti, cui omne genu flebitur. Da  
locum Domino Iesu Christo, qui pro ho-  
mīne Sanguinem suum sacratissimum fudit.  
**Da locum Spiritui sancto**, qui per beatum

Apo-

Apostolum suum Petrum te manifestè struit in Simone mago: qui fallaciam tuam in Anania & Saphira condemnauit: qui te in Herode Rege honorem Deo non dāte percussit: qui te in Bariesu mago, per Apostolum suum Paulum cæcitatis caligine perdidit: & per eundem de Pythonissa, verbo imperans, exire præcepit. Discede ergo nūc, discede seductor: tibi eremus sedes est, tibi habitatio serpens est. Humiliare & prosternere, iam non est differendi tempus. Ecce enim dominator Dominus proximat citò, & ignis ardebit ante ipsum, & præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos suos. Si enim hominem sefelleris, Deum non poteris irridere. Ille te eiicit, cuius oculis nihil occultum est: ille te expellit, cuius virtuti vniuersa subiecta sunt: ille te excludit, qui tibi & angelis tuis præparauit æternam gehennam; de cuius ore exiet gladius bis acutus: Qui venturus est iudicare viuos & mortuos, & sæculum per ignem.  
*Resp. Amen.*

*Possunt legi sequentes Psalmi.*

*Psalmus 69.*

**D**eus in adiutorium meum intende: Domine ad adiuuandum me festina.

Confundantur & reuereantur: qui quærunt animam meam,

*Auer-*

96 MANVALIS EXORCISMORVM

Auertantur retrorsum, & erubescant: qui  
volunt mihi mala.

Auertantur statim erubescentes: qui di-  
cunt mihi, Euge, euge.

Exultent & lætentur in te omnes qui que-  
runt te: & dicant semper, Magnificetur  
Dominus, qui diligunt salutare tuum.

Ego verò egenus & pauper sum: Deus ad-  
iuua me.

Adiutor meus, & liberator meus es tu:  
Domine ne moreris.

Gloria Patri.

*Psalmus 10.*

**I**N Domino confido, quomodo dicitis  
animæ meæ: Transmigra in montem sic-  
ut passer?

Quoniam ecce peccatores intenderunt  
arcum, parauerunt sagittas suas in pharetra:  
vt sagittent in obscuro rectos corde.

Quoniam quæ perfecisti destruxerunt:  
iustus autem quid fecit?

Dominus in templo sancto suo: Domi-  
nus in cælo sedes eius.

Oculi eius in pauperem respiciunt: palpe-  
bræ eius interrogant filios hominum.

Dominus interrogat iustū & impium: qui  
autem diligit iniquitatem, odit animā suam.

Pluet super peccatores laqueos: ignis, &  
sulphur, & spiritus procellarum pars calicis  
eorum.

Quo-

Quoniam iustus Dominus , & iustitias  
dilexit : æquitatem vidit vultus eius.

Gloria Patri. *Psalmus 51.*

**Q** Vid gloriaris in malitia : qui potens es  
in iniquitate?

Tota die iniustitiam cogitauit lingua tua:  
sicut nouacula acuta fecisti dolum.

Dilexisti malitiam super benignitatem:  
iniquitatem magis , quam loqui æquita-  
tem.

Dilexisti omnia verba præcipitationis:  
lingua dolosa.

Propterea Deus destruet te in finem :  
eueller te , & emigrabit te de tabernaculo  
tuo , & radicem tuam de terra viuentium.

Videbunt iusti , & timebunt , & super eum  
ridebunt , & dicent : Eccē homo , qui non  
posuit Deum adiutorem suum.

Sed sperauit in multitudine diuinarum  
suarum : & præualuit in vanitate sua.

Ego autem sicut oliua fructifera in domo  
Dei : speravi in misericordia Dei in æter-  
num , & in sæculum sæculi.

Confitebor tibi in sæculum , quia fecisti :  
& expectabo nomen tuum , quoniam bo-  
num est in conspectu sanctorum tuorum.

Gloria Patri. Sicut erat.

Item possunt legi Litanie cum Precibus suis  
& Orationibus.

G O R A-

ORATIONES  
ET  
EXORCISMI,  
ad iuuandum energumenos  
& alios maleficiatos,  
ex probatis Auctoribus desumpti.

**S**ACERDOS exorcizaturus, obseruatis iis quæ suprà dicta sunt, orabit in modum qui sequitur:  
*Vers.* Adiutorium ✠ nostrū in nomine Domini. *Resp.* Qui fecit cælum & terram. *Vers.* Sit nomen Domini benedictum. *Resp.* Ex hoc nunc & usque in sæculum.

Ecce Crucem Domini ✠, fugite partes aduersæ, vicit leo de tribu Iuda, radix David.

*Psalmus 67.*

**E**Xurgat Deus, & dissipétur inimici eius: & fugiant, qui oderūt eum, à facie eius. Sicut deficit fumus, deficiant: sicut fluit cera à facie ignis, sic pereant peccatores à facie Dei.

Et iusti epulentur, & exultent in conspectu

et tu Dei: & delectentur in lætitia.

Cantate Deo, psalmū dicite nomini eius:  
iter facite ei qui ascendit super occasum,  
Dominus nomen illi.

Exultate in conspectu eius: turbabuntur  
a facie eius, patris orphanorum, & iudicis  
viduarum.

Deus in loco sancto suo: Deus, qui inha-  
bitare facit unius moris in domo.

Qui educit vincitos in fortitudine: simi-  
liter eos qui exasperant, qui habitant in se-  
pulchris.

Deus cum egredereris in conspectu po-  
puli tui: cum pettransires in deserto.

Terra mota est, etenim cæli distillauerunt  
a facie Dei Sinai: a facie Dei Israel.

Pluuiam voluntariam segregabis Deus  
hereditati tuae, & infirmata est: tu vero per-  
fecisti eam.

Animalia tua habitabunt in ea: parasti in  
dulcedine tua pauperi Deus.

Dominus dabit verbum euangelizanti-  
bus: virtute multa.

Rex virtutum dilecti dilecti: & speciei  
domus diuidere spolia.

Si dormiatis inter medios clerros, pennæ  
columbae deargentatae: & posteriora dorsi  
eius in pallore auri.

Dum discernit cælestis reges super eam,

G 2 niue

100 MANVALIS EXORCISMORVM  
niue dealbabuntur in Selmon: mons Dei,  
mons pinguis.

Mons coagulatus , mons pinguis : vt quid  
suspicamini montes coagulatos?

Mons , in quo beneplacitum est Deo ha-  
bitare in eo : etenim Dominus habitabit in  
finem.

Currus Dei decem millibus multiplex,  
millia lætantium: Dominus in eis in Sina in  
sancto.

Ascendisti in altum, cepisti captiuitatem:  
accepisti dona in hominibus.

Etenim non credentes: inhabitare Domi-  
num Deum.

Benedictus Dominus die quotidie: pro-  
sperum iter faciet nobis Deus salutarium  
nostrorum.

Deus noster , Deus saluos faciendi : &  
Domini Domini exitus mortis.

Verumtamen Deus confringet capita ini-  
micorum suorum : verticem capilli peram-  
bulantium in delictis suis.

Dixit Dominus , Ex Basan conuertam:  
conuertam in profundum maris.

Vt intingatur pes tuus in sanguine : lin-  
gua canum tuorum ex inimicis ab ipso.

Viderunt ingressus tuos Deus : ingressus  
Dei mei, regis mei, qui est in sancto.

Præuenerunt principes coniuncti psal-  
lenti-

lentibus: in medio iuuicularum tympanistarum.

In ecclesiis benedicite Deo Domino: de fontibus Israel.

Ibi Beniamin adolescentulus: in mentis excessu.

Principes Iuda, duces eorum: principes Zabulon, principes Nephthali.

Manda Deus virtuti tuæ: confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis.

A templo tuo in Ierusalem: tibi offerent reges munera.

Increpa feras arundinis, congregatio taurorum in vaccis populorum: ut excludant eos, qui probati sunt argento.

Dissipa gentes quæ bella volunt, venient legati ex Ægypto: Æthiopia præueniet manus eius Deo.

Regna terræ cantate Deo: psallite Dominum.

Psallite Deo, qui ascendit super cælum cæli: ad Orientem.

Ecce dabit voci suæ vocem virtutis, date gloriam Deo super Israel: magnificentia eius, & virtus eius in nubibus.

Mirabilis Deus in Sanctis suis, Deus Israel ipse dabit virtutem & fortitudinem plebi suæ: benedictus Deus.

Gloria Patri, & Filio.

102 MANVALIS EXORCISMORVM

Deinde Sacerdos flexis genibus alta voce dicet Litanias Sanctorum, prout infrà habentur.

Vers. Domine exaudi orationem meam.

Resp. Et clamor meus ad te veniat.

Vers. Dominus vobiscum. Resp. Et cum spiritu tuo.

**D**omine Deus omnipotens, qui omnia tuo dispēsa arbitrio, tu Pater clemens, tu pius propitiator, tu mœstorum consolator, tu tribulatorum fortitudo, tu ægrotantium medicus, tu defensor tuorum plafmatum, respice de sede sancta tua super hunc famulum tuum, quem malignus conturbat spiritus, & memor esse digneris, quia opus manuum tuarum est, & pretioso Sanguine suo eum Filius tuus redimere dignatus est: & concede ut medelam tuam non solum in corpore, sed etiam in anima sentiat. Per eumdem Dñm nostrum Iesum Christum.

**O**mnipotens sempiterne Deus, Pater Domini nostri Iesu Christi, te supplices exoramus, ut imperes diabolo qui hunc famulum tuum detinet, ut ab eo recedat, & libera eum qui credit in verum liberatorem, ut amota omni vexatione diaboli, maiestati tuae libera mente deseruiat. Per eumdem Dominum.

**O**ramus pietatem tuam, omnipotens Deus, ut prestes auxilium familiæ tue,

&

& clementer exaudire digneris preces no-  
stras, ut famulum tuum ab hac infirmitate  
ad integrum iubeas reuerti corporis sanita-  
tem. Per Dominum nostrum, &c.

*Vers.* Dominus vobiscum. *Resp.* Et cum  
spiritu tuo.

*Vers.* Sequentia sancti Euangelij secun-  
dum Marcum. *Resp.* Gloria tibi Domine.

*Marc.* 16.

**I**N illo tempore: Recumbentibus vnde-  
cim discipulis, apparuit illis Iesus, & ex-  
probrauit incredulitatem eorum & duri-  
tiam cordis, quia his, qui viderant eum re-  
surrexisse, non crediderunt. Et dixit eis:  
Euntes in mundum vniuersum, prædicate  
Euangelium omni creaturæ. Qui credide-  
rit, & baptizatus fuerit, saluus erit: qui verò  
non crediderit, condemnabitur. Signa au-  
tem eos, qui crediderint, hæc sequentur. In  
nomine meo dæmonia eiicient, linguis lo-  
quentur nouis, serpentes tollent: & si mor-  
tiferum quid biberint, non eis nocebit: su-  
per ægros manus imponent, & benè habe-  
bunt. Et Dominus quidem Iesus postquam  
locutus est eis, assumptus est in cælum, &  
sedet à dextris Dei. Illi autem profecti præ-  
dicauerunt ubique Domino cooperante, &  
sermonem confirmante, sequentibus signis,

*Resp.* Deo gratias.

G 4

Ore

Oremus.

**S**ancta Maria, Virgo perpetua, mater Dei, templum Domini, sacrarium Spiritus sancti, atque omnes Angeli & Archangeli, Principatus & Potestates, Virtutes & Dominationes, Throni, Cherubim & Seraphim, atque omnes sancti Patriarchæ, Prophetæ, Apostoli, Martyres, Cōfessores, Doctores, & Virgines, necnon & vniuersi Dei electi intercedere dignentur pro illo afflito N.ad Dominū, ut mereatur plenè liberari, & custodiri ab omnibus spiritibus immundis, animæ & corporis vexationibus, sensuum perturbationibus, dæmonum terroribus & illusionibus, etiam in sanitate mentis & corporis conseruari. Per eum qui venturus est iudicare viuos & mortuos, & sæculum per ignem. *Resp.* Amen.

Iesus Mariæ filius, salus mundi, & Dominus, sit tibi clemens & propitius, & liberet te plenè, & custodiat te semper ab omnibus spiritibus immundis, animæ & corporis vexationibus, sensuum perturbationibus, ac dæmonum terroribus, & in bona sanitate mentis & corporis te conseruet, in nomine Patris  $\ddagger$ , & Filij  $\ddagger$ , & Spiritus  $\ddagger$  sancti. Amen.

**O**Mnipotens sempiterne Deus, petimus humili prece diuinam clementiam tuam,

tuam, vt famulum tuum quem conspici-  
mus ab antiquo hoste tentatum esse graui-  
ter, & sensu à liuore satanæ perturbari atque  
vexari, ab eius impetu clementer eripias.

*His subiungere licet pro qualitate persona-  
rum, temporis, aut loci, siue Psalmos Pœnitentia-  
tales cum Litaniis, siue alios qui hominem in  
spem & fiduciam erigant, ut Qui habitat in  
adiutorio Altissimi. fol. 57. ite. In te Do-  
mine speravi. fol. 68.*

EXORCISMVS, dicendus (si commode fieri  
poterit) coram venerabili SACRAMENTO  
exposito in altari.

SACERDOS cum magna reverentia ponet  
sanctissimum Eucharistie Sacramentum su-  
per altare debite ornatum luminaribus, &c.  
Energumenum constituet infra gradus dicti  
altaris, indutum stolâ per modum Crucis. Facta  
reverentia per incensum thuris venerabili Sa-  
cramento, Exorcista flexis genibus dicet alta  
voce, se ipsum signans,

In nomine Patris, & Filij, & Spiritus san-  
ti. Amen. *Vers.* Adiutorium nostrum in  
nomine Domini. *Resp.* Qui fecit cælum &  
terrā. *Vers.* Deus in adiutorium meum in-  
tende. *Resp.* Domine ad adiuuandum me  
festina. *Vers.* Dominus vobiscum. *Resp.* Et  
cum spiritu tuo.

G s                      Ore-

Oremus.

**D**eus qui nobis sub Sacramento mirabili, passionis tuæ memoriam reliquisti; tribue quæsumus, ita nos Corporis & Sanguinis tui sacra mysteria venerari, ut redemptionis tuæ fructum in nobis iugiter sentiamus. Qui viuis & regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. *Resp.* Amen. *Oratio.*

**D**eus refugium nostrum & virtus, adesto piis famulorum tuorum precibus, auctor ipse pietatis, & præsta; ut quod fideliter petimus, efficaciter consequamur. Per Dominum nostrum. *Resp.* Amen. *Oratio.*

**T**Neffabilem misericordiam tuam, Domine, huic seruo tuo *N.* clementer ostende; ut simul eum & à peccatis omnibus exuas, & à poenis quas pro his meretur eripias. Per Dominum nostrum Iesum Christum. *Resp.* Amen. *Oratio.*

**P**Reces famuli tui *N.* quæsumus Domine clementer exaudi, ut qui iustè pro peccatis suis afflitgitur, pro tui nominis gloria misericorditer liberetur. Per Christum Dominum nostrum. *Resp.* Amen.

*Oratio.*

**D**eus, qui hunc famulum tuum *N.* in tantis periculis constitutum, pro humana scis fragilitate non posse subsistere: da ei salu-

salutem mentis & corporis , vt ea quæ pro  
peccatis suis patitur , te adiuuante vincat.  
Per Christum Dñm nostrum. *Resp.* Amen.

*Oratio.*

**D**A quæsumus omnipotens Deus, vt hic  
famulus tuus N. qui in tot aduersis ex  
sua infirmitate deficit, intercedente Filij tui  
vnigeniti passione respiret. Per eumdem  
Christum Dominum, &c.

*Oremus.*

**D**EUS qui glorioſſimum nomen I E S V  
Christi filij tui Domini nostri , fecisti  
fidelibus tuis summo suavitatis affectu ama-  
bile, & malignis spiritibus tremendum at-  
que terribile : concede propitius , vt omnes  
qui hoc nomen I E S V deuotè venerantur in  
terrīs , sanctæ consolationis dulcedinem in  
præſenti percipiant , & in futuro gaudium  
exultationis , & interminabilis iubilationis  
obtineant in cælis. Per eumdem Dominum  
nostrum Iesum Christum filium tuum , qui  
tecum viuit & regnat in vnitate Spiritus  
sancti Deus. Per omnia ſecula ſeculorum.  
*Resp.* Amen.

*Post Orationem surget Exorcista, &asperget  
infirmum & astantes Aqua benedicta: & ſtans  
à latere versus infirmum , ita vt non vertat  
dorsum venerabili Sacramento, legat super il-  
lum ſequentia.*

*Lectio*

**I**N diebus illis: Orauit Sara filia Raguelis ad Dominum, dicens: Benedictum est nomen tuum, Deus patrum nostrorum: qui cùm iratus fueris, misericordiam facies, & in tempore tribulationis peccata dimittis his qui inuocant te. Ad te Domine faciem meam conuerto, ad te oculos meos dirigo. Peto Domine, vt de vinculo improperij huius absoluas me. Tu autem Domine miserere nobis. *Resp.* Amen.

Initium sancti Euangelij secundūm  
Ioannem. *Ioani.*

**I**N principio erat Verbum: & Verbum erat apud Deum: & Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt: & sine ipso factum est nihil. Quod factum est, in ipso vita erat: & vita erat lux hominum: & lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehendunt. Fuit homo missus à Deo, cui nomen erat Ioannes. Hic venit in testimonium, vt testimonium perhiberet de lumine: vt omnes crederent per illum. Non erat ille lux: sed vt testimonium perhiberet de lumine. Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. In mundo erat, & mundus per ipsum factus est: & mundus eum non cognouit. In propria ve-

nit:

nit: & sui eum non receperunt. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri: his, qui credunt in nomine eius. Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate vi-ri: sed ex Deo nati sunt. ET VERBUM CARO FACTUM EST: & habitauit in nobis, (& vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre,) plenum gratiæ & veritatis. *Resp.* Laus tibi Christe.

## EXORCISMVS.

**P**er Euangelica dicta, extinguatur, dissi-petur & destruatur in te omnis malitia diabolica, In nomine Patris +, & Filij +, & Spiritus + sancti. Amen. *Psalm. 50.*

**M**iserere mei Deus: secundum ma-gnam misericordiam tuam.

Et secundum multitudinem miseratio-num tuarum: dele iniquitatem meam.

Amplius laua me ab iniquitate mea: & à peccato meo munda me.

Quoniam iniquitatem meam ego cog-nosco: & peccatum meum contra me est semper.

Tibi soli peccavi, & malum coram te fe-ci: ut iustificeris in sermonibus tuis, & vin-cas cum iudicaris.

Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum: & in peccatis concepit me mater mea.

Ecce

110 MANVALIS EXORCISMORVM

Ecce enim veritatem dilexisti : incerta & occulta sapientiae tuae manifestasti mihi.

Asperges me hyssopo , & mundabor: lauabis me, & super niuem dealbabor.

Auditui meo dabis gaudium & lætitiam: & exultabunt ossa humiliata.

Auerte faciem tuam à peccatis meis : & omnes iniquitates meas dele.

Cor mundum crea in me Deus : & spiritum rectum innoua in visceribus meis.

Ne proiicias me à facie tua : & spiritum sanctum tuum ne auferas à me.

Redde mihi lætitiam salutaris tui : & spiritu principali confirma me.

Docebo iniquos vias tuas : & impij ad te conuertentur.

Libera me de sanguinibus Deus , Deus salutis meæ : & exultabit lingua mea iustitiam tuam.

Domine labia mea aperies : & os meum annuntiabit laudem tuam.

Quoniam si voluisses sacrificium , dedissest utique : holocaustis non delectaberis.

Sacrificium Deo spiritus contribulatus: cor contritum & humiliatum Deus non despicies.

Benignè fac Domine in bona voluntate tua Sion: ut ædificantur muri Ierusalem.

Tunc

P A R S   S E C V N D A .   I I I

Tunc acceptabis sacrificium iustitiae, oblationes, & holocausta: tunc imponent super altare tuum vitulos.

Gloria Patri, & Filio: & Spiritui sancto.

Sicut erat in principio, & nunc, & semper: & in secula seculorum. Amen.

E X O R C I S M V S .

*Ostendendo digito reuerenter venerabile  
SACRAMENTUM, dicet Exorcista:*

**A**DEST, ô nequissime spiritus, summa pietas. Adest ille, qui pro nostra salute passus est. Nunc (inquit) princeps mundi huius eiicietur foras. Hoc est illud corpus quod de corpore Virginis sumptū est, quod in stipite crucis extensum est, quod in tumulo iacuit, quod de morte surrexit, quod videntibus discipulis in cælum ascendit. In huius ergo maiestatis terribili potestate, tibi spiritus maligne præcipio ut ex hac creatura Dei negligiaris, & fugias, nec eam deinceps præsumas molestare. Amen.

Lectio Isaiae Prophetæ.    *Isaiae 14.*

**Q**uomodo cecidisti de cælo Lucifer, qui manè oriebaris? Corruisti in terram, qui vulnerabas gentes? qui dicebas in corde tuo, In cælum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum, & sedebo in monte testamenti in lateribus Aquilonis. Ascendam super altitudinem nubium, similis ero

Altissi-

## 112 MANVALLIS EXORCISMORVM

Altissimo. Verumtamen ad infernum detrahēris in profundum laci. Qui te viderint, ad te inclinabuntur, teq; prospicient. Numquid iste est vir qui conturbāuit terram, qui concussit regna? Tu autem Domine miserere nostri. *Resp.* Deo gratias.

Lectio sancti Euangelij secundūm  
Lucam. *Luc. II.*

**I**N illo tempore: Erat Iesus eiiciens dæmonium, & illud erat mutum: & cùm eieisset dæmonium, locutus est mutus, & admiratæ sunt turbæ. *Vers.* Tu autem Domine miserere nostri. *Resp.* Deo gratias.

Per Euangelica dicta, deleantur omnia nostra delicta, & extinguantur in te omnis virtus diabolica. *Ex Psalmis.*

*Psal. 109.* **D**ixit Dominus Domino meo: Sede à dextris meis.

Donec ponam inimicos tuos: scabellum pedum tuorum.

*Exod. 15.* Dextera tua Domine magnificata est in fortitudine, dextera tua Domine percussit inimicum, & in multitudine gloriæ tuæ deposuisti aduersarios tuos.

*Psal. 75.* Illuminans tu mirabiliter à montibus æternis, turbati sunt omnes insipientes corde.

Tu terribilis es, & quis resistet tibi? ex tunc ira tua.

Inimi-

Inimici defecerunt frameæ in finem , & *Psal. 9.*  
ciuitates destruxisti.

Tu confregisti capita draconis : dedisti *Psal. 73.*  
eum escam populis Æthiopum.

Tu dirupisti fontes & torrentes : tu sicca-  
sti fluuios Ethan.

Custodit Dominus omnes diligentes se: *Psal. 144.*  
& omnes peccatores disperdet.

Dominus soluit compeditos , Dominus *Psal. 145.*  
illuminat cæcos.

Dominus erigit elisos , Dominus diligit  
iustos.

Qui habitat in cælis irridebit eos , & Do- *Psal. 2.*  
minus subsannabit eos.

Deus conteret dentes eorum in ore ip- *Psal. 57.*  
sorum , molas leonum confringet Domi-  
nus.

Virum sanguinum & dolosum abomina- *Psal. 5.*  
bitur Dominus : ego autem in multitudine  
misericordiæ tuæ introibo in domum tuam ,  
& confitebor nomini tuo.

Dominus irridebit eum , quoniam pro- *Psal. 36.*  
spicit quod veniet dies eius.

Immittet Angelus Domini in circuitu *Psal. 33.*  
timentium eum , & eripiet eos.

### E X O R C I S M V S .

A Vdite aspides tartarei , exorcizo vos ,  
A cuiuscumque generis sitis , ut sine ylla  
mora discedatis ab hac creatura Dei N. om-

H neque'

114 MANVALIS EXORCISMORVM  
neque maleficium aut maleficij signum dis-  
soluatis.

Exorcizo vos per eum qui dixit : Ego sum  
qui sum. per simplicissimam vnitatem Dei.

Exorcizo vos per veritatem vnius princi-  
pj totius vniuersi Creatoris & Rectoris.

Adiuro vos vt fugiatis , per æternum  
Deum, Patrem luminum.

Adiuro vos per Deum Filium, quem ado-  
rant omnes Angeli Dei.

Adiuro vos per Spiritum sanctum à Pa-  
tre Filioque procedentem.

Adiuro vos vt relinquatis hanc creatu-  
ram Dei , per sanctissimam Trinitatem, Pa-  
trem, Filium , & Spiritum sanctum ,vnum  
Deum omnipotentē,vnius essentiæ, substâ-  
tiæ,& potestatis : ex quo omnia , per quem  
omnia,& in quo omnia,cui gloria in sœcula.

Adiuro vos per diuinarum personarum  
æqualitatem.

Impero vobis vt recedatis , per immensi-  
tatem , incomprehensibilitatem , æternita-  
tem, infinitatem, immutabilitatē, iustitiam  
& misericordiam Dei.

Exorcizo vos vt ab hac creatura Dei exea-  
tis, per Filij Dei incarnationem, aduentum,  
& nativitatem, per eiusdem baptismum &  
sanctum ieunium.

Per crucem Christi & passionem.

Per

Per mortem Domini & sepulturam.

Per sanctam ipsius resurrectionem & admirabilem ascensionem.

Exorcizo vos per aduentum sanctissimi Paracleti.

Per sanctificationem eius & consolacionem, ut ab hac creatura Dei exeat, & amplius ne introeatis in eam.

Lectio beati Pauli Apostoli. *Hebr. 4.*

**F**ratres, Adeamus cum fiducia ad thronum gratiae eius, ut misericordiam consequamur, & gratiam inueniamus in auxilio opportuno. *Vers.* Tu autem Domine miserere nostri. *Resp.* Deo gratias.

Lectio sancti Euangeli secundum

Lucam. *Luc. 11.*

**I**n illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Petite, & dabitur vobis; quærите, & inuenietis; pulsate, & aperietur vobis. Omnis enim qui petit, accipit; & qui quærit, inuenit; & pulsanti aperietur. *Resp.* Laus tibi Christe.

Per Evangelica dicta deleantur omnia nostra delicta, & extinguatur in te omnis virtus diabolica.

*Exorcista flectat genua, & ad Deum dicat:*

**E**xaudi Deus orationem meam cum de- *Psa. 13.*  
precor, à timore inimici eripe animam  
meam.

H 2

Exau-

116 MANVALIS EXORCISMORVM

- Psal. 60.* Exaudi Deus deprecationem meam , intende orationi meæ.  
*Psal. 125.* Conuerte Domine captiuitatē nostram, sicut torrens in Austro.  
*Psal. 79.* Incensa igni , & suffossa, ab increpatione vultus tui peribunt.  
*Psal. 32.* Deus meus pone illos ut rotam , & sicut stipulam ante faciem venti.  
Et cognoscant quia nomen tibi Dominus, tu solus Altissimus in omni terra.  
*Psal. 78.* Ne quando dicant in gentibus , Vbi est Deus eorum?  
*Psal. 34.* Ne dicant in cordibus suis : Euge , euge, animæ nostræ.  
Nec dicant , Deuorauimus eum.  
*Psal. 30.* Educes me de laqueo hoc quem absconderūt mihi , quoniam tu es protector meus.  
*Psal. 82.* Ita persequēris illos in tempestate tua , & in ira tua turbabis eos.  
Gloria Patri, & Filio. Sicut erat.

EXORCISMVS *per SACRAMENTA.*

**E**xorcizo vos, nequissimi latrones , qui hominem ab Ierusalem in Iericho, à felicitate innocentiae ad peccati miseriam descendentem despoliastis, & plagis impositis semiuiuum reliquistis . Exorcizo vos per piissimum Samaritanum Iesum Christum, qui per incarnationis humilitatem misero-

ho-

homini appropians alligauit vultera eius, & visibilibus Sacramentis institutis, tamquam oleo & vino infusis, eorumdem Sacramentorum virtute infirmum resicere, & contra vestram nequitiam præsumptamque potentiam vires suppeditare dignatus est.

Formidate igitur accedere ad hominis Christiani corpus, qui in morte Christi baptizatus, consepultus est cum illo per Baptismum in mortem, atque erutus de potestate tenebrarum ( vestra scilicet ) translatus est in regnum Filij dilectionis Dei , à cuius regno vos excidisse non ignoratis.

Adiuro vos per virtutem Spiritus sancti, qui in Sacramento Confirmationis per Chrismatisunctionem & signum Crucis, cum impositione manus Episcopalis Christianorum frontibus impressum, in eorum cordibus non tantum charitatis dona multiplicat, verum etiam robur mentis subministrat, quo , in militiam spiritualem conscripti , omnibus vestris impugnationibus redduntur superiores.

Adiuro quoque vos per eximiam illam Christi erga homines charitatem, qua sanctissimum Corpus & pretiosissimum Sanguinem suum , quæ in Eucharistia sub speciebus panis & vini verè & substantialiter adsunt , illis in cibum potumq; spiritualem

H 3                    con-

118 M A N V A L I S E X O R C I S M O R V M  
concedere voluit in suæ passionis memo-  
riam , & incruenti sacrificij oblationem;  
cuius virtute omnibus efficiuntur hostibus  
fortiores . Quapropter Christiani hominis  
corpus, quod à iudice vestro, qui in hoc Sa-  
cramento præsens est, tanto honore dignum  
habetur, euestigio deserite.

Quidni ab hoc seruo Dei statim recedi-  
tis, toties ab eo victi, quoties per Sacramen-  
tum Pœnitentiæ vel statui gratiæ restitutus  
est , vel ampliore iustificatione donatus,  
mundante eum & sanctificante Sanguine  
**Christi**, cuius virtutem sustinere nullo mo-  
do potestis.

Arguit imbecillitatem vestram ad mai-  
orem confusionem, quod Christianos in in-  
firmitate constitutos temptationibus vestris  
infestantes per virtutem extremæ Vnctionis  
à Christo instituæ non raro fugemini, &  
animas, quarum perditioni inhiatis, ad Bea-  
torū sedes angelico ministerio deferri cum  
vestra indignatione videre compellamini.  
Ita nunc quoque hinc discedite , eiusdem  
**Christi** virtute constricti , in cuius nomine  
vos adiuro.

Recordari enim vos oportet, quod Chri-  
stus Dominus per Ordinis Sacramentum  
seruis suis potestatem dederit calcandi su-  
per serpentes & scorpiones ; omnemq; vir-  
tutem

tutem vestram pedibus eorum subiecerit.  
Vnde & ego ( quamuis indignus & pecca-  
tor ) ad ignominiam vestram pedibus istis  
Euangelicis vos naturâ superiores cōculco,  
& in nomine Iesu, qui hanc mihi dedit po-  
testatem, vos protrudo, mandoq; ut ab hoc  
seruo Dei exeatis, eumque vexare desinatis,  
neque ulterius accedatis ad eum.

Sed & probè scitis, spiritus immundi, qui  
carnis spurcias diligentes, fortitudinem  
habetis in lumbis vestris, & virtutē in vmbi-  
lico ventris vestri: quantum de viribus ve-  
stris ademptum sit, cùm Christus Dominus  
matrimonialem contractum Sacmenti  
honore nobilitans, amorem coniugum na-  
turalem sublimauit in spiritualem charita-  
tem, ut esset honorabile coniugium in om-  
nibus, & torus immaculatus.

Quid ergo tot Sacmentorum virtute  
attriti, viribus vestris confiditis? nec ad ter-  
ribile Dei nomen, in quo vos adiuro, conti-  
nuò fugam capitis? Discedite toties vieti.  
Discedite viribus destituti. Discedite co-  
ram Christo Domino imbecilles, qui vos  
vti per Sacmenta sanctissima in hoc sæcu-  
lo hominibus vincendos exposuit, ita in  
die Iudicij sempiternis ignibus cruciandos  
addicet. Cui est honor & gloria per omnia  
sæcula sæculorum.

*Exprobratio in satanam.*

**O**MISERRIME & NEQUISSIME SPIRITUS, ecce contra te tuum Factorem ac puni-  
torem inuocaui, cuius longanimitatem  
contemnere non consueuisti impunè. Re-  
minisci debuisses, quemadmodum in te, &  
quām iuste, statim ab initio tuæ conditionis  
animaduertit. Audi, miserrime, opprobiū  
tuum. Vos spiritus nunc quidem brutales,  
olim etiam hominibus nobiliores omnes à  
Deo omnipotente producti fuistis, donis  
naturalibus sublimes, sed gratuitis subli-  
miores: qui in ipso mox vestræ conditionis  
**exordio**, Conditori vestro non solum in-  
grati, verūm etiam rebelles extitistis, in su-  
perbiam, in liuorem & odium maximum  
prorumpentes. O ingratitudinē maximam!  
O inauditam temeritatem! O flammis æter-  
nis exurendum scelus! Audiatis quid de  
vestro principe, & singulis vestrūm, suo mo-  
do sub figura Nabuchodonosor superbissi-  
mi, immò quid de Nabuchodonosor ad-  
instar satanæ, dicat per Isaiam magnus &  
admirabilis Conditor vester: Quomodo  
(inquit) cecidisti de cælo Lucifer? qui ma-  
nè oriebaris, corruisti in terram. Corruisti,  
inquam, tu, qui tua pulchritudine delecta-  
tus, dicebas in corde tuo, tuum scilicet blas-  
phemando Conditorem, vnde laudare de-  
buis.

Isiae 14.

buiſſes; In cælum conſcendam, ſuper aſtra  
cæli exaltabo folium meum. Sedebo in mō-  
te teſtamenti, in lateribus Aquilonis. Afſen-  
dam ſuper altitudinem riubium, ſimilis ero  
Altissimo. O verbum totius temeritatis!  
& cui per magnum & admirabilem Ado-  
nai iuſtiſſimè reſpondeatur: Verumtamen,  
o ſpiritus ingrate atque ſuperbiſſime, ad in-  
fernū detrahēris, in profoundum laci. Qui  
te viderint poſt tātam dignitatē obſiden-  
tem corpora humana, & infra intestina ſter-  
corea latitantem, bestiales geſtus rugitusq;  
porcinos cum femineis eiulatibus exercen-  
tem, ad te contemplandum p̄e admiratio-  
ne inclinabuntur, vt videant ad quantum  
profounditatē, de tanta ſublimitate explo-  
ſus, ruensq; deſcenderis.

Illud verò, miſerrime, quomodo ſufferre  
iam potes, quod omnipotens Deus de ſu-  
perbiſſimo Rege Tyri ſub tua perſona,  
qui eum tuo factō docuisti, per Ezechielem  
profitetur & dicit: Tu ſignaculum ſimilitu- *Ezech. 28.*  
dinis, plenus ſapientia, & perfectus decore,  
in deliciis Paradifi Dei fuisti. Omnis lapis  
pretiouſus opeſimentum tuum: fardius, to-  
pazius, & iaspis, chryſolithus, & onyx, &  
beryllus, ſapphirus, & carbunculus, & ſma-  
ragdus: autum opus decōris tui: & forami-  
na tua, in die qua conditus es, p̄eparata

H 5                          ſunt.

122 M A N V A L I S E X O R C I S M O R V M  
sunt. Tu Cherub extentus, & protegens, &  
posui te in monte sancto Dei, in medio la-  
pidum ignitorum ambulasti: perfectus in  
viis tuis à die conditionis tuæ, donec inuen-  
ta est iniquitas in te. In multitudine nego-  
tiationis tuæ repleta sunt interiora tua ini-  
quitate, & peccasti: & eieci te de móte Dei,  
& perdidi te, ô Cherub, protegens de me-  
dio lapidum ignitorum, quorum consortio  
te indignum effecisti. Perdidisti sapientiam  
( Deo teste ) licet tu apud mulierculas &  
Necromanticos de sapientia glorieris: & ex  
angelo effectus es bestia tetrovima & sca-  
biosa.

O miserrime, quo nulla creatura mife-  
rior vel impudentior est, quomodo post  
tantam gloriam audes comparere, & bru-  
tales, imò porcinos moliri rugitus? Erube-  
*Matth. 26.* sce miselle, & fuge, Dei omnipotentis impe-  
ria veritus.

Nam ego Iesu Christi Nazareni crucifi-  
xi indignus Sacerdos & famulus, auctorita-  
te & virtute Dei omnipotentis, Patris  $\pm$ , &  
Filij  $\pm$ , & Spiritus  $\pm$  sancti, præcipio tibi ut  
hoc Dei templum desinas occupare. Et  
contra te inuoco sanctam Trinitatem, ul-  
tricem contumaciæ tuæ, beatam Virginem  
Mariam, omnes bonorum Spirituum cho-  
ros, omnes electos Dei, quos omnes humili-  
liter

liter precor, ut mihi aduersum te sint in adiutorium. Fuge miserrime, fuge latro, quia iudex adest iratus: adest contra te iudicium Iesu Christi Nazareni crucifixi. Imperet tibi Dominus, qui venturus est iudicare viuos & mortuos, & seculum per ignem.

*Si quando Exorcista iudicabit expedire ut interroget aliqua à dæmonे, seruatis iis quæ habentur in Instruccióne, præmittet sequentia.*

Lectio Actuum Apostolorum.

*Act. 16.*

**F**actum est euntibus nobis ad orationem, puellam quamdam habentem spiritum pythonem obuiare nobis, quæ quæstum magnum præstabat dominis suis diuinando. Hæc subsecuta Paulum & nos, clamabat dicens: Isti homines, servi Dei excelsi sunt, qui annuntiant vobis viam salutis. hoc autem faciebat multis diebus. Dolens autem Paulus, & conuersus, spiritui dixit: Præcipio tibi in nomine Iesu Christi exire ab ea. Et exiit eadem hora. Tu autem Domine miserere nostri. *Resp.* Deo gratias.

Lectio sancti Euangeli secundūm

Marcum.      *Marc. 9.*

**I**n illo tempore: Respondens unus de turba, dixit: Magister, attuli filium meum ad te, habentem spiritum mutum: qui ubique eum apprehendit, allidit illum, & spumat,

124 M A N V A L I S E X O R C I S M O R V M  
spumat, & stridet dentibus, & arescit: & di-  
xi discipulis tuis ut eiicerent illum, & non  
potuerunt. Qui respondens eis, dixit: O ge-  
neratio incredula, quamdiu apud vos ero?  
quamdiu vos patiar? afferte illum ad me. Et  
attulerunt eum. Et cum vidisset eum, sta-  
tim spiritus conturbauit illum: & elisus in  
terram, volutabatur spumans. Et interroga-  
uit patrem eius: Quantum temporis est,  
ex quo ei hoc accidit? At ille ait: Ab infan-  
tia: & frequenter eum in ignem, & in aquas  
misit, ut eum perderet. Sed si quid potes, ad-  
iuua nos, misertus nostri. Iesus autem ait  
illi: Si potes credere, omnia possibilia sunt  
credenti. Et continuo exclamans pater pue-  
ri, cum lacrymis aiebat: **Credo**, Domine:  
adiuua incredulitatem meam. Et cum vide-  
ret Iesus concurrentem turbam, commina-  
tus est spiritui immundo, dicens illi: Surde  
& mute spiritus, ego præcipio tibi, exi ab  
eo, & amplius ne introeas in eum. Et exclam-  
ans, & multum discerpens eum, exiit ab  
eo: & factus est sicut mortuus, ita ut multi  
dicerent: Quia mortuus est. Iesus autem  
tenens manum eius, eleuavit eum, & surre-  
xit. *Resp.* Laus tibi Christe.

Per Euangelica dicta deleantur omnia  
nostra delicta, & extinguatur in te omnis  
virtus diabolica.

*Sub-*

*Subiunget Exorcista: Adiuro te per Deum Matth. 26.  
viuum, vt non contradicas verbo veritatis Eccli. 4.  
vlo modo; & de mendacio ineruditionis  
tuæ confundaris.*

*Hic petat Exorcista ea quæ scire desiderat  
pro facilitiori expulsione dæmonum, dicendo:  
Da gloriam Deo.*

Ioan. 9.

*Si diabolus recuset respondere, vel mendaciis  
vel nugis diuertere interrogata, insurgat  
Exorcista, dicens: Iterum atque iterum ad- 3. Reg. 22.  
iuro te, vt non loquaris mihi, nisi quod ve-  
rum est, in nomine Domini.*

*Si ex responso dæmonis vel aliis signis ad-  
uertat Exorcista plures esse in corpore obfesso  
dæmones, tam in adiurationibus præcedenti-  
bus quam sequentibus & in aliis Precibus uti-  
tur numero plurali.*

*Deinde siue responderit dæmon siue non,  
quamdiu non fuerit electus, prosequitur Exor-  
cista suam exorcizationem, & adiuraciones,  
donec victoriam reportet de hoste communi,  
Deo fauente & iubente.*

EXOR-

EX ORC I S M I  
 qui nituntur inuocationibus  
 & suffragiis Sanctorum  
 & Sanctarum DEI.

Primus, Per inuocationem beatissimæ  
 Virginis M A R I A E.

*Flexis genibus ante altare vel imaginem beatisimæ Virginis, vel alterius Sancti vel Sancte, leget Exorcista alta voce Litanias B. MARIE LAVRETANÆ, prout sequuntur.*

**K**Yrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Christe audi nos. Christe exaudi nos.

Pater de cælis Deus, Miserere nobis.  
 Fili Redemptor mundi Deus, Miserere nobis.

Spiritus sancte Deus ,	Miserere nobis.
Sancta Trinitas unus Deus,	Miserere nobis.
Sancta Maria,	Ora pro eo.
Sancta Dei genitrix,	Ora pro eo.
Sancta Virgo virginum,	Ora pro eo.
Mater Christi,	Ora pro eo.
Mater diuinæ gratiæ,	Ora pro eo.
Mater purissima,	Ora pro eo.
	Mater

Mater castissima,	Ora pro eo.
Mater inuiolata,	Ora pro eo.
Mater intemerata,	Ora pro eo.
Mater amabilis,	Ora pro eo.
Mater admirabilis,	Ora pro eo.
Mater Creatoris,	Ora pro eo.
Mater Saluatoris,	Ora pro eo.
Virgo prudentissima,	Ora pro eo.
Virgo veneranda,	Ora pro eo.
Virgo prædicanda,	Ora pro eo.
Virgo potens,	Ora pro eo.
Virgo clemens,	Ora pro eo.
Virgo fidelis,	Ora pro eo.
Speculum iustitiae,	Ora pro eo.
Sedes sapientiae,	Ora pro eo.
Causa nostræ lætitiae,	Ora pro eo.
Vas spirituale,	Ora pro eo.
Vas honorabile,	Ora pro eo.
Vas insigne deuotionis,	Ora pro eo.
Rosa mystica,	Ora pro eo.
Turris Davidica,	Ora pro eo.
Turris eburnea,	Ora pro eo.
Domus aurea,	Ora pro eo.
Fœderis arca,	Ora pro eo.
Ianua cæli,	Ora pro eo.
Stella matutina,	Ora pro eo.
Salus infirmorum,	Ora pro eo.
Refugium peccatorum,	Ora pro eo.
Consolatrix afflictorum,	Ora pro eo.
	Auxi-

## 128 MANVALIS EXORCISMORVM

Auxilium Christianorum, Ora pro eo.  
 Regina Angelorum, Ora pro eo.  
 Regina Patriarcharum, Ora pro eo.  
 Regina Prophetarum, Ora pro eo.  
 Regina Apostolorum, Ora pro eo.  
 Regina Martyrum, Ora pro eo.  
 Regina Confessorum, Ora pro eo.  
 Regina Virginum, Ora pro eo.  
 Regina Sanctorum omnium, Ora pro eo.  
 Agnus Dei qui tollis peccata mundi, Parce  
 nobis Domine.

Agnus Dei qui tollis peccata mundi, Exau-  
 di nos Domine.

Agnus Dei qui tollis peccata mundi, Mis-  
 rere nobis.

Christe audi nos. Christe exaudi nos. Kyrie  
 eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pa-  
 ter noster. *Vers.* Et ne nos inducas in ten-  
 tationem. *Resp.* Sed libera nos à malo.  
*Vers.* Domine exaudi orationem meam.  
*Resp.* Et clamor meus ad te veniat. *Vers.* Do-  
 minus vobiscum. *Resp.* Et cum spiritu tuo,  
 Oremus.

**C**Oncede nos famulos tuos, quæsumus  
 Dñe Deus, perpetua mentis & corporis  
 sanitatem gaudere: & gloriosa beatæ Mariæ  
 semper virginis intercessione, à præsenti li-  
 berari tristitia, & æterna perfrui lætitia. Per  
 Christum Dominum nostrum. *Resp.* Amen.  
*Oratio.*

*Oratio.*

**D**eus qui salutis æternæ, beatæ Mariæ virginitate secunda, humano generi præmia præstitisti: tribue quæsumus, ut ipsam pro nobis intercedere sentiamus, per quam meruimus auctorem vitæ suscipere Dominum nostrum Iesum Christum, &c.

*Resp. Amen.*

*Oratio.*

**O**MNIA virgo, quæ contriuisti caput serpentis, fugatrix dæmonum, & maleficiorum dissipatrix, ne hæc creatura, ad imaginem & similitudinem filij tui creata, ulterius crucietur succurre; & preces nostras, quas auribus tuæ pietatis & misericordiæ offerimus, exaudi; vt desideratam sanitatem tuo pio interuentu obtineat, largiente Iesu Christo filio tuo crucifixo, regnante in sæcula sæculorum. *Resp. Amen.*

*Surgens Exorcista ab Oratione, asperget infirmum & circumstantes Aqua benedicta, & eleuatis oculis in celum dicet: Sub tuum præsidium confugimus, sancta Dei genitrix, nostras deprecationes ne despicias, & concede, vt te adiuuante de hoc superbo hoste victoriam referamus.*

Sequentia sancti Euangeli secundum

Lucam. *Lucæ i.*

**E**xurgens autem Maria in diebus illis, abiit in montana cum festinatione, in  
I ciui-

130 MANVALIS EXORCISMORVM  
ciuitatem Iuda , & intravit in domum Za-  
chariae,& salutauit Elisabeth. Et factum est,  
vt audiuit salutationem Mariæ Elisabeth,  
exultauit infans in vtero eius : & repleta est  
Spiritu sancto Elisabeth , & exclamauit vo-  
ce magna, & dixit: Benedicta tu inter mu-  
llieres, & benedictus fructus ventris tui. Et  
vnde hoc mihi vt veniat mater Domini mei  
ad me? Ecce enim vt facta est vox salutatio-  
nis tuæ in auribus meis, exultauit in gaudio  
infans in vtero meo. Et beata quæ credidi-  
sti ; quoniam perficientur ea quæ dicta sunt  
tibi à Domino. Et ait Maria : Magnificat  
anima mea Dominum: Et exultauit spiritus  
meus in Deo salutari meo. Quia respexit  
humilitatem ancillæ suæ: ecce enim ex hoc  
beatam me dicent omnes generationes.  
Quia fecit mihi magna , qui potens est : &  
sanctum nomen eius. Et misericordia eius à  
progenie in progenies: timentibus eum. Fe-  
cit potentiam in brachio suo : dispersit su-  
perbos mente cordis sui. Deposuit potentes  
de sede: & exaltauit humiles. Esurientes im-  
pleuit bonis : & diuites dimisit inanes. Sus-  
cepit Israel puerum suum , recordatus mi-  
sericordiæ suæ. Sicut locutus est ad pa-  
tres nostros: Abraham , & semini eius in  
sæcula. Mansit autem Maria cum illa qua-  
si mensibus tribus : & reuersa est in do-  
mum

*mum suam. Resp. Laus tibi Christe.*

*Subiungit Exorcista, quod semper faciet lecto aliquo Euangelio. Per Euangelica dicta deleantur omnia nostra delicta, & extinguiatur in te omnis virtus diabolica.*

## EXORCISMVS.

**I**lla mater Dei intemerata, semper virgo Maria, quam Dominus omnipotens ab initio viarum suarum, antequam quidquam ficeret à principio, & ab æterno elegit sibi in matrem & sponsam: illa inquam vos virginitatis hostes per suam intercessionem expellat ab hac creatura Dei, ipsique Deo hoc habitaculum suum, quod temerè præsumpsistis inuadere, relinquatis, ac omne maleficiarum genus dissoluatis.

Illa vobis suis meritis contraueniat, cuius partus exstitit salutis exordium, & gaudium annuntiauit in vniuerso mundo: ipsa enim est flos campi, de qua ortum est pretiosum lilyum conuallium, per cuius partum mutatur natura protoplastorum, deletur & culpa; ex ea enim ortus est Sol iustitiae Christus Deus noster, qui soluens maledictionem, dedit benedictionem, & confundens mortem, donauit nobis vitam sempiternam.

Illa vos vestramque superbiam calcer, ô  
angeli apostatici, cui missus est Angelus Ga- Luc. 1.

132 MANV ALIS EXORCISMORVM  
briel à Deo in ciuitatem Galilææ, cui nom  
Nazareth, vt salutatione præmissa, conce  
ptionem Dominicam nuntiaret, dicendo  
Ecce concipies & paries filium, & vocab  
nomen eius I E S V M : hic erit magnus, &  
filius Altissimi vocabitur. fiet autem istud  
Spiritu sancto superueniente in te, & Altis  
simi virtute te obumbrante.

Illa vos vestramque superbiam concu  
cet, quæ cùm se grauidam cognouisset,  
exurgens abiit in montana cum festinatio  
ne in ciuitatem Iudæ, & intravit in domum  
Zachariæ, & salutauit Elisabeth. Et factum  
est vt audiuit salutatione Mariæ Elisabeth  
exultauit infans in vtero eius. Et repleta est  
Spiritu sancto Elisabeth, & exclamauit di  
cens: Benedicta tu inter mulieres, & bene  
dictus fructus ventris tui.

Luc. i.

Illa vos vestramque superbiam vincat,  
quæ nouem post conceptionem decursum  
mensibus, dum medium silentium tenerent  
omnia, & nox in suo cursu medium iter per  
ageret, dum pastores vigilias noctis custodi  
ret super gregem suum, peperit filium suum  
primogenitum, & pannis eum inuoluit, &  
reclinauit in præsepe, quia non erat ei locus  
in diuersorio.

Illa vos vestramque proteruiam retun  
dat, in qua præcisum est illud Euæ infeli  
catis

tatis elogium, quo dicitur, In dolore paries filios, quia ista in lætitia Dominum peperit. Eua enim luxit, ista exultauit: Eua laerymas, Maria gaudium in ventre portauit: quia illa peccatorem, ista edidit innocentem, & nocentium liberatorem.

Illa vos vestramq; temeritatem cōfundat, & caput vestrū conterat, quæ Virgo ante partum, in partu, & post partum permansit.

Illa vos expugnet, quæ postquam imple-Luc. 2.  
ti sunt dies purgationis eius, secundūm le-  
gem Moysi cum Ioseph sponso suo tulit fi-  
lium suum, & Dominum nostrum Iesum  
Christum, in Ierusalem, ut sisteret eum Do-  
mino.

Illa vos fugam capere faciat, quæ in Ca-  
na Galilææ, ad nuptias in quibus defuit vi-  
num, dixit filio suo: Vinum non habent.  
Deinde ministris: Quodcumque dixerit  
vobis, facite.

Illa vos ad loca vobis debita deiiciat, ô  
corruptores bonæ mentis, quæ cum Maria  
Cleophæ & Maria Magdalene iuxta cru-  
cem Iesu Christi filij sui stabat: quam cùm  
ipse vidisset, ait illi: Mulier, ecce filius tuus.  
Deinde dixit discipulo suo Ioanni: Ecce  
mater tua. Et ex illa hora accepit eam disci-  
pulus in sua.

Illa vos ad loca vobis debita deturberet,

I 3 quæ

134 MANVALIS EXOXCISMORVM  
quæ cùm debitum carnis morte interueniente exsoluiisset, assumpta est ad ethereum thalamum, in quo Rex regum stellato sedet folio.

Illaque tandem vos exterminet, quæ sunt Christi magnificentia super cælos est elevata, ita exaltata est super choros Angelorum ad cælestia regna; cuius meritis precibusque consitus, auctoritate Filij ipsius ego vobis præcipio ut hinc discedere festinetis, & ab omni maleficio hanc creaturam Dei solutam & liberam relinquatis.

Quousque tandem non exhibitis? quid moramini? quid temerè cogitatis? Fugite rebelles æternæ maiestati, date locum Deo maledicti, & exite ab hac imagine sanctissimæ Trinitatis, euutes ad loca vobis à Deo parata.

### Secundus EXORCISMVS, per inuocationem sanctorum ANGELORVM.

Oremus.

*Oratio.*

**D**eus, qui miro ordine, Angelorum ministeria, hominumque dispensas: concede propitius; ut à quibus tibi ministrantibus in cælo semper assistitur, ab his in terra vita nostra muniatur. Per Dominum nostrum Iesum, &c. *Resp.* Amen,

*Oratio.*

*Oratio.*

**V**isita, quæsumus Domine, hunc famulum tuum N. & omnes insidias inimici ab eo longè repelle. Angeli tui sancti habitent cum eo, qui eum in pace custodiant: & benedictio tua sit super eum semper. Per Christum Dominum nostrum. *Resp.* Amé.

*Oratio.*

**D**eus, qui ineffabili prouidentia sanctos Angelos tuos ad nostram custodiam mittere dignaris: largire supplicibus tuis, & eorum semper protectione defendi, & æterna societate gaudere. Per Dominum nostrum Iesum Christum, &c.

*Hic surget Exorcista, & asperget obsessum & circumstantes Aqua benedicta, & stans versus illum, prosequetur sequentia.*

*Psalmus 90.*

**Q**ui habitat in adiutorio Altissimi: in protectione Dei cæli commorabitur. Dicit Domino, Susceptor meus es tu, & refugium meum: Deus meus, sperabo in eum.

Quoniam ipse liberauit me de laqueo venantium: & à verbo aspero.

Scapulis suis obumbrabit tibi: & sub pennis eius sperabis.

Scuto circumdabit te veritas eius: non timebis à timore nocturno.

A sagitta volante in die , à negotio per. ambulante in tenebris: ab incursu, & dæmo- nio meridiano.

Cadent à latere tuo mille, & decem milia à dextris tuis: ad te autem non appropin- quabit.

Verumtamen oculis tuis considerabis: & retributionem peccatorum videbis.

Quoniam tu es Domine spes mea: altissi- mum posuisti refugium tuum.

Non acceder ad te malum : & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.

Quoniam Angelis suis mandauit de te: vi custodiant te in omnibus viis tuis.

In manibus portabunt te: ne fortè offen- das ad lapidem pedem tuum.

Super aspidem & basiliscum ambulabis & conculcabis leonem & draconem.

Quoniam in me sperauit , liberabo eum: protegam eum , quoniam cognouit no- men meum.

Clamabit ad me, & ego exaudiam eum: cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum.

Longitudine dierum replebo eum , & of- tendam illi salutare meum.

Gloria Patri, & Filio: & Spiritui sancto.

Sicut erat in principio, & nunc , & sem- per: & in sæcula sæculorum, Amen.

Lectio

**I**N illo tempore: Ductus est Iesus in desertum à spiritu, ut tentaretur à diabolo. Et cùm iejunasset quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, poste à esuriit. Et accedens tentator, dixit ei: Si filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant. Qui respondens, dixit: Scriptum est: Non in solo pane viuit *Deut. 8.* homo, sed in omni verbo quod procēdit de ore Dei. Tunc assumpsit eum diabolus in sanctam ciuitatem: & statuit eum supra pinnaculum templi, & dixit ei: Si filius Dei es, mitte te deorsum. Scriptum est enim: Quia Angelis suis mandauit de te, & in manibus tollent te, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum. Ait illi Iesus: Rursum scriptū est: Non tentabis Dominum Deum tuum. Iterū assumpsit eum diabolus in montem excelsum valdē: & ostendit ei omnia regna mundi, & gloriam eorum, & dixit ei: Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraueris me. Tunc dicit ei Iesus: Vade satana: scriptum est enim: Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies. Tunc reliquit eum diabolus: & ecce Angeli accesserunt, & ministrabant ei. *Ressp.* Laus tibi Christe.

Per Euangelica dicta deleantur omnia

I 5

nostra

138 MANVALIS EXORCISMORVM  
noſtra delicta, & extinguatur in te omnis  
virtus diabolica.

EXORCISMVS.

**E**XORCIZO vos spiritus nequam, qui hoc  
plasma Dei vexare præsumitis, per Deū  
omnipotentem, sanctorum Angelorum &  
vestrum Creatorem, vt agnita vilitate ve-  
stra, ad quam per superbiam deuenistis, dis-  
sipatoque omni maleficio, ab hac Dei crea-  
tura discedatis. Neque enim digni estis vt  
in homine tyrannidem exerceatis, qui à na-  
turali vestra excellentia contra Deum vos  
eleuando deiecti, atque rudentibus inferni  
detraecti, in carceribus vestris sub caligine  
referuamini. Eum timete, qui sanctos spi-  
ritus, suum principatum domiciliumque  
feruantes, non tantum æterna gloria remu-  
nerauit, verùm etiam vestram, quam dese-  
ruistis, adiecit dignitatem; ita vt ad ipsorum  
præsentiam vos iam contremiscere com-  
pellamini, quibus aliquando naturâ pates-  
fuistis.

Illius vos vrgeat maiestas, qui vobis ex  
altissima cælorum sede deiectis in ea loca,  
vbi umbra mortis & nullus ordo, sed sempi-  
ternus horror inhabitat, stabiliter sibi ad-  
hærentes spiritus per hierarchias ordinesque  
sic disposuit, vt millia millium throno eius  
assistant, & decies millies cetera millia ma-  
iestati

ies stati ipsius perpetuò ministrent. Quorum ministerio ( nisi cesseritis ) ad mandatum eius tanta vobis accumulentur tormenta, ut infernalem potius flammarum, quam huius creaturæ Dei corpus eligere compellamini.

Illum timete, cuius voluntati obsequens Archangelus Michaël cum exercitu Angelorum, vos frustrà contrà præliantes ita deuicit & subiugauit, vt ne locus quidem vester in cælo amplius inueniretur. Horum vos potestati resistere præsumitis? Scitote quod vestrum unus Asmodæus per Raphaëlem Archangelum iecoris fumo è cubiculo Tobiae & Saræ profligatus, in deserto superioris Ægypti religatus sit.

An ignoratis quod omnium præsentium Christianorum, qui precibus apud Deum contra vos certant, Angeli semper vident faciem Patris nostri qui in cælis est? qui nos labentes erigunt, qui contra vestros insultus nos muniunt, qui orationes nostras ad Deum perferunt, qui diuinæ benevolentiae beneficia suis precibus impetrata nobis reportant. Omnes nos contra vestram contumaciam Dominum inuocamus. Quid moramini ulterius? quid exspectatis, nisi vt Angeli sancti, de quorum custodia contra vos gloriamur, accepto à Deo mandato flagella vobis

140 M A N V A L I S E X O R C I S M O R V M  
vobis ingeminent, & miseriæ vestræ acer-  
biora insuper tormenta adiiciantur?

Iterum vos exorcizo per Iesum Christum  
Dominum nostrum verum hominem ve-  
rumque Deum, qui sua humilitate & pas-  
sione mortis paulominus ab Angelis mino-  
ratus, sic gloria & honore coronatus est, ut  
sit caput omnis principatus & potestatis, in  
quem & desiderant Angeli prospicere, cuius  
Sanguine hic seruus Dei redemptus est.  
Exite igitur vos apostatici spiritus. Date lo-  
cum Deo omnipotenti, cui hic seruus addi-  
ctus est. Date locum Christo Domino no-  
stro, sub cuius auspiciis hic contra vestrā  
nequitiam militat. Date locum sanctis An-  
gelis, quorum hic tutelæ commissus est,  
eorumq; contra vos auxilium inuocamus,  
neque eum ulterius à Domini sui seruitio  
vestris infestationibus aut maleficiis impe-  
dire præsumatis. Per eum qui venturus est  
iudicare viuos & mortuos, & sæculum per  
ignem.

Tertius

Tertius EXORCISMVS, per inuocationem DEI & SANCTORVM eius.

*Flexis genibus leget Exorcista alta voce Litanias sequentes.*

**K**Yrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Christe audi nos. Christe exaudi nos.

Pater de cælis Deus, Miserere nobis.

Fili Redemptor mundi Deus, Miserere nobis.

Spiritus sancte Deus, Miserere nobis.

Sancta Trinitas unus Deus, Miserere nobis.

Sancta Maria, Ora pro nobis.

Sancta Dei genitrix, Ora pro nobis.

Sancta Virgo virginum, Ora pro nobis.

Sancte Michaël, Ora pro nobis.

Sancte Gabriel, Ora pro nobis.

Sancte Raphaël, Ora pro nobis.

Omnes sancti Angeli & Archangeli, Orate pro nobis.

Omnes sancti beatorum spirituum ordines,  
Orate pro nobis.

Sancte Ioannes Baptista, Ora pro nobis.

Omnes sancti Patriarchæ & Prophetæ,  
Orate pro nobis.

Sancte Petre, Ora pro nobis.

Sancte Paule, Ora pro nobis.  
Sancte

142 MANVALIS EXORCISMORVM

Sancte Andrea,	Ora pro nobis.
Sancte Iacobe,	Ora pro nobis.
Sancte Ioannes,	Ora pro nobis.
Sancte Thoma,	Ora pro nobis.
Sancte Iacobe,	Ora pro nobis.
Sancte Philippe,	Ora pro nobis.
Sancte Bartholomæ,	Ora pro nobis.
Sancte Matthæ,	Ora pro nobis.
Sancte Simon,	Ora pro nobis.
Sancte Thadæ,	Ora pro nobis.
Sancte Matthia,	Ora pro nobis.
Sancte Barnaba,	Ora pro nobis.
Sancte Luca,	Ora pro nobis.
Sancte Marce,	Ora pro nobis.
Omnes sancti Apostoli & Euangelistæ, Ora- te pro nobis.	
Omnes sancti Discipuli Domini , Orate pro nobis.	
Omnes sancti Innocentes, Orate pro nobis.	
Sancte Stephane,	Ora pro nobis.
Sancte Laurenti,	Ora pro nobis.
Sancte Vincenti,	Ora pro nobis.
Sancti Fabiane & Sebastiane , Orate pro nobis.	
Sancti Ioannes & Paule, Orate pro nobis.	
Sancti Cosma & Damiane, Orate pro nobis.	
Sancti Geruasi & Protasi, Orate pro nobis.	
Omnes sancti Martyres, Orate pro nobis.	
Sancte Siluester,	Ora pro nobis.
	Sancte

- Sancte Gregori, Ora pro nobis.  
Sancte Ambrosi, Ora pro nobis.  
Sancte Augustine, Ora pro nobis.  
Sancte Hieronyme, Ora pro nobis.  
Sancte Martine, Ora pro nobis.  
Sancte Nicolae, Ora pro nobis.  
Omnes sancti Pontifices & Confessores,  
    Orate pro nobis.  
Omnes sancti Doctores, Ora pro nobis.  
Sancte Antoni, Ora pro nobis.  
Sancte Benedicte, Ora pro nobis.  
Sancte Bernarde, Ora pro nobis.  
Sancte Dominice, Ora pro nobis.  
Sancte Francisce, Ora pro nobis.  
Omnes sancti Sacerdotes & Leuitæ, Orate  
    pro nobis.  
Omnes sancti Monachi & Eremitæ, Orate  
    pro nobis.  
Sancta Maria Magdalena, Ora pro nobis.  
Sancta Agatha, Ora pro nobis.  
Sancta Lucia, Ora pro nobis.  
Sancta Agnes, Ora pro nobis.  
Sancta Cæcilia, Ora pro nobis.  
Sancta Catharina, Ora pro nobis.  
Sancta Anastasia, Ora pro nobis.  
Omnes sanctæ Virgines & Viduæ, Orate  
    pro nobis.  
Omnes Sancti & Sanctæ Dei, Intercedite  
    pro nobis.

Pro-

## 144 M A N V A L I S E X O R C I S M O R V M

Propitius esto, Exaudi nos Domine.

Ab insidiis diaboli, Libera eum Domine.

Per mysterium sanctæ Incarnationis tuæ,  
Libera eum Domine.

Per aduentum tuum, Libera eum Do-  
mine.

Per nativitatem tuam, Libera eum Do-  
mine.

Per baptismum & sanctum ieiunium tuum,  
Libera eum Domine.

Per crucem & passionem tuam, Libera eum  
Domine.

Per mortem & sepulturam tuam, Libera  
eum Domine.

Per sanctam resurrectionem tuam, Libera  
eum Domine.

Per admirabilem ascensionem tuam, Libe-  
ra eum Domine.

Per aduentum Spiritus sancti Paracliti, Li-  
bera eum Domine.

Peccatores, Te rogamus audi nos.  
Fili Dei, Te rogamus audi nos.

Agnus Dei qui tollis peccata mundi, Parce  
nobis Domine.

Agnus Dei qui tollis peccata mundi, Exau-  
di nos Domine.

Agnus Dei qui tollis peccata mundi, Mis-  
tere nobis.

Christe audi nos. Christe exaudi nos. Kyrie  
eleison.

eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pa-  
ter noster. Aue Maria. *Vers.* Domine exau-  
di orationem meam. *Resp.* Et clamor meus  
ad te veniat. *Vers.* Dominus vobiscum.  
*Resp.* Et cum spiritu tuo. Oremus.

**O**nipotens sempiterne Deus, quæsumus, ut desideratam nobis tuæ propitiationis abundantiam, multiplicatis intercessoribus, largiaris. Per Dominum nostrum, &c. *Resp.* Amen. Oremus.

**I**nteruenientibus, Domine, sancta Maria  
virgine matre tua & omnibus Sanctis,  
huic famulo tuo N. auxilij tui placatus ostē-  
de virtutem, ut destructis aduersitatibus, in-  
sidiisque diabolicis vniuersis, secura dein-  
ceps tibi seruiat libertate. Qui cum Patre &  
Spiritu sancto viuis & regnas in sæcula sæ-  
culorum. *Resp.* Amen. Oremus.

**O**Mnes Sancti tui, quæsumus Domine,  
nos ubique adiuuent, & dum eorum  
merita recolimus, patrocinia sentiamus, &  
ab Ecclesia tua cunctam repelle nequitiam.  
Iter, actus, & voluntates nostras in salutis  
tuæ prosperitate dispone, & huic famulo  
tuo pacem, & iisdem interuenientibus à dæ-  
monum infestatione requiem concede. Per  
Dominum, &c. *Resp.* Amen.      *Oremus.*

**P**rotege Domine hunc famulum tuum  
[hanc famulā tuam] *N.* & Apostolorum  
K tuo-

146 MANVALIS EXORCISMORVM  
tuorum Petri & Pauli , & aliorum Aposto-  
lorum patrocinio confidentem , perpetua  
defensione conserua. Per Dominum.

*Surgens ab oratione Exorcista, asperget in-  
firmum Aqua benedicta, & stans versus illum  
leget sequentia.*

*Psalmus 31.*

**B**EATI, quorum remissæ sunt iniquitates:  
& quorum tecta sunt peccata.

Beatus vir , cui non imputauit Dominus  
peccatum : nec est in spiritu eius dolus.

Quoniam tacui , inueterauerunt offa  
mea: dum clamarem tota die.

Quoniam die ac nocte grauata est super  
me manus tua : conuersus sum in ærumna  
mea, dum configitur spina.

Delictum meum cognitum tibi feci: &  
iniustiam meam non abscondi.

Dixi , Confitebor aduersum me iniusti-  
tiam meam Domino: & tu remisisti impie-  
tatem peccati mei.

Pro hac orabit ad te omnis sanctus: in  
tempore opportuno.

Verumtamen in diluvio aquarum multa-  
rum : ad eum non approximabunt.

Tu es refugium meum à tribulatione, que  
circumdedit me : exultatio mea erue me à  
circumstantibus me.

Intellectum tibi dabo , & instruam te in  
via

via hac qua gradieris: firmabo super te oculos meos.

Nolite fieri sicut equus & mulus : quibus non est intellectus.

In camo & fræno maxillas eorum constringe : qui non approximant ad te.

Multa flagella peccatoris: sperantem autem in Domino misericordia circumdabit.

Lætamini in Domino , & exultate iusti: & gloriamini omnes recti corde.

Gloria Patri, & Filio: & Spiritui sancto.

Sicut erat in principio , & nunc , & semper : & in sæcula sæculorum. Amen.

Lectio sancti Euangelij secundum

Matthæum.      *Matth. 15.*

**I**N illo tempore: Egressus Iesus secessit in partes Tyri & Sidonis. Et ecce mulier Chananæa à finibus illis egressa clamauit, dicens ei: Miserere mei Domine fili Dauid: filia mea malè à dæmonio vexatur. Qui non respondit ei verbum . Et accedentes discipuli eius, rogabant eum dicentes : Dimitte eam : quia clamat post nos. Ipse autem respondens, ait : Non sum missus nisi ad oves quæ perierunt domus Israel. At illa venit, & adorauit eum, dicens : Domine, adiuua me. Qui respondens ait: Non est bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus. At illa dixit: Etiam Domine : nam & catelli

K 2                edunt

148. MANVALIS EXORCISMORVM  
edunt de micis quæ cadunt de mensa do-  
minorum suorum. Tunc respondens Iesu,  
ait illi : O mulier, magna est fides tua: fiat ti-  
bi sicut vis. Et sanata est filia eius ex illa ho-  
ra. *Resp.* Laus tibi Christe.

Per Euangelica dicta deleantur omnia  
nostra delicta , & extinguat in te omnis  
virtus diabolica.

E X O R C I S M V S.

**E**xorcizo vos apostatici spiritus, per Pa-  
trem & Filium & Spiritum sanctum, ut  
ab hac creatura Dei , Sanguine Christi de-  
faucibus vestris erepta, continuo recedatis.  
Exorcizo vos per B. Mariam virginem Dei  
matrem, & omnes sanctorum Angelorum  
choros , & per merita omnium Sanctorum,  
qui paratam vobis gloriam, à qua per inobe-  
dientiam excidistis , fide & operibus conse-  
cuti, vestras ruinas in cœlestibus impleuerūt.

Exorcizo vos per sanctos Patriarchas &  
Prophetas, qui aduersus tenebras ignorantie  
quas mundo induxeratis, à Deo in vineam  
suam missi tamquam fideles operarij , illas  
non in se tantum vicerunt , sed & ab alio-  
rum cordibus expulerunt: propter quod &  
per vestram inuidiam lapidati sunt , sed eti-  
sunt, in occidente gladij mortui sunt, glorio-  
so de vobis certamine in perpetuum trium-  
phantibus.

Exor-

Exorcizo vos per sanctos Apostolos Christi, qui carne velatum Filium Dei simplici fide recipientes, vestram proteruiam, qua Deum qui vos genuit dereliquistis, confuderunt, acceptaque gratia & Apostolatu ad obediendum fidei in omnibus sua prædicatione totum orbem terrarum ab infidelitate ad Creatoris nostri agnitionem reduxerunt.

Exorcizo vos per quatuor Euangelistas,  
qui sublimiū mysteriorum Dei cognitione,  
tamquam oculis pleni intus & foris, lumine  
Euangelij publicato, vestram qua pro diis  
haberi volebatis impudentiam detexerunt.

Exorcizo vos per gloriosum exercitum  
sanctorum Martyrum, qui vobis impiè sæ-  
uientibus in eos, sui sanguinis & vitæ prodi-  
gi, pro iustitia & veritate agonizarunt vsque  
ad mortem. A quibus subacti & turpiter vi-  
cti, erubescite; neque virtuti sanguinis eo-  
rum quem pro Christo fuderunt, vltérius  
resistere præsumatis.

Exorcizo vos per sanctos Pontifices, quos  
Spiritus sanctus posuit Episcopos ad regen-  
dam Ecclesiam Christi , quam acquisiuit  
Sanguine suo, eamque à vobis vestrisque in-  
fidiis indefessa vigilantia defenderunt.

Exorcizo vos per sanctos Confessores, qui magna animi fortitudine mundum cum omnibus deliciis contemnentes, cupidita-

150 MANVALIS EXORCISMORVM  
tum suarum victores extiterunt ; & supera-  
tis vestris temptationibus, diuinorum manda-  
torum viam alaci charitate cucurrerunt.

Adiuro vos per sanctos Ecclesiæ Doc-  
tres , qui non sibi solis viuentes , postquam  
Deo per sanctam cōuersationem grati facti  
sunt, scriptis quoque eamdem Ecclesiam il-  
luminarunt, & cōtra hæresum errores, quas  
numquam seminare desistitis , munierunt  
atque in Catholica fide conseruarunt.

Exorcizo vos per sanctos Abbates , Mo-  
nachos, Eremitas , qui hominum mundanorum  
confortia declinantes, atque in soli-  
tudinibus errantes , in montibus, speluncis,  
& cauernis terræ, quæ loca tamquam vestris  
spurciis consecrata inhabitare anteà con-  
sueuistis , impetus vestros fortiter sustine-  
runt, & vobiscum veluti cominus congrega-  
si, in propriis vos sedibus expugnarunt.

Exorcizo vos per sanctos Presbyteros, qui  
diuinis astiterunt in conscientia pura, & im-  
maculati Agni oblatione , inter alia bene-  
ficia , fidelibus à Deo vestrorum quoque  
conatum exsufflationem frequenter im-  
petrauerunt.

Exorcizo vos per sanctas & prudentes  
Virgines & Vidiuas, quæ exhibuerunt cor-  
pora sua hostiam viuentem , sanctam, Deo  
placentem , ut per continentiae libamen, co-  
gitan-

gitantes quæ Domini sunt, & placerent cui  
se probauerunt, vestras quotidiana exerci-  
tatione impugnationes & impuritates ani-  
mo plusquam femineo debellantes.

Hos igitur & omnes Dei Sanctos suppli-  
citer inuocantes, rogamus Deum, ut Ange-  
lorum protectio, Patriarcharum fides, lu-  
men Prophetarum, Apostolorum perfecta  
charitas, Martyrum sanguis, Confessorum  
fortitudo, Monachorum religiosa deuotio,  
Virginum castitas, sanctitas Viduarum, &  
omnium Sanctorum & Sanctarum merita  
fiant nobis contra vos in adiutorium, Per  
Christum Dominum nostrum. *Resp. Amen.*

## Alia formula exorcizandi obsessos & maleficiatos.



*N T E omnia semper Exorcista  
asperget obsessum & astantes  
Aqua benedicta, eamq; sepius  
inter exorcizandum adhibebit.  
Deinde imponet stolam collo ob-  
sessi, illumq; & astantes serio adhortabitur  
ut secum orent. Et signando scipsum signo  
Crucis, dicet:*

**D**eus in adiutorium meum intende: *Psal. 69.*  
Domine ad adiuuandum me festina.

K 4

Con-

152 MANVALIS EXORCISMORVM  
Confundantur & reuereantur: qui quæ-  
runt animam meam.

Auertantur retrosum, & erubescant: qui  
volunt mihi mala.

Auertantur statim erubescentes: qui di-  
cunt mihi, Euge, euge.

Exultent & lætentur in te omnes qui que-  
runt te: & dicant semper, Magnificetur  
Dominus, qui diligunt salutare tuum.

Ego verò egenus & pauper sum: Deus ad-  
iuua me.

Adiutor meus, & liberator meus es tu:  
Domine ne moreris.

Gloria Patri, & Filio,

*Postea à flexis genibus clara voce leget Lita-  
nias Sanctorum prout suprà fol. 141. V. et Veni  
creator Spiritus, &c. cum Collecta, Deus qui  
corda fidelium, &c. pro ratione temporis, &  
opportunityate Sacerdotis.*

Recitatis Litanis, usque Peccatores, Te  
rogamus audi nos, surget, & conuersus ad af-  
fictum, dicet:

Vt hanc creaturam pretioso tuo Sangui-  
ne redemptam ab infestationibus dæmo-  
num liberare digneris, Te rogamus audi  
nos.

Vt hanc creaturam tuam à cruciatibus  
dæmonum liberare, & benedicere digneris,  
Te rogamus audi nos.

Vt

Vt hanc creaturam tuam à potestate dæmonum liberare, benedicere, & conseruare digneris, Te rogamus audi nos.

Fili Dei, Te rogamus audi nos.

Agnus Dei qui tollis peccata mundi, Parce ei Domine.

Agnus Dei qui tollis peccata mundi, Exaudi nos Domine.

Agnus Dei qui tollis peccata mundi, Misserere nobis.

Pater noster, &c. *Vers.* Et ne nos inducas in temptationem. *Resp.* Sed libera nos à malo, Amen. *Vers.* Domine exaudi orationem meam. *Resp.* Et clamor meus ad te veniat. *Vers.* Dominus vobiscum. *Resp.* Et cum spiritu tuo. *Oremus.*

**D**omine Iesu Christe, qui pro redemptione mundi voluisti à Iudæis reprobari, & à Iuda proditore osculo tradi, & à perfidis vinculis alligari, & sicut Agnus mansuetus ad victimam duci, atque in conspectu Pilati ignominiosè fisti, & à falsis testibus accusari, flagellis & opprobriis vexari, conspui, & spinis coronari, colaphis cædi, clavis acutis perforari, & in cruce leuari, inter latrones deputari, felle & aceto potari, lancea vulnerari. Tu Domine Iesu Christe, per has sanctissimas pœnas tuas, quas ego indignus peccator recolo, & per sanctam

K 5      Cru-

Crucem tuam te precor, vt nō respicias peccata mea, atq; peccata huius creaturæ tuæ N. sed secundum magnam misericordiam tuam libera eum à diabolo vexante; & mihi indigno famulo tuo præbe virtutem, vt valeam expellere omnes dæmones eam vexantes, per tua sanctissima verba. Qui viuis cum Deo Patre in unitate Spiritus sancti Deus: Per omnia sæcula sæculorum.

*Resp. Amen.*

Oremus.

**D**omine Deus omnipotens, inuidæ virutis auctor, & insuperabilis imperij Rex, & semper magnificus triumphator, qui aduersæ dominationis vires reprimis, qui hostiles nequitias potenter expugnas, qui omnia per tuum verbum ex nihilo condidisti, qui Luciferum & sequaces eius superbos & rebelles de cælo expulisti, qui in Filio tuo ima summis reconciliasti, qui non vis mortem peccatoris, cui proprium est misereri semper & parcere, miserere huic creaturæ tuæ N. non respiciendo eius peccata & demerita, sed secundum tuam clementiam libera eam ab omnibus laqueis malignorum spirituum, quibus alligatur, & ab omni infestatione & molestia ipsorum quibus torquetur. Sicut liberasti Mariam Magdalenam à septem spiritibus immunidis, & filiam Chananaæ à vexatione dæmonis;

nis; sic hanc creaturam nunc etiam liberare digneris ab omnibus malignis spiritibus eam infestantibus. Et sicut liberasti Ionam de ventre ceti, & Susannam de falso crimen, & David de manibus Saul, & tres pueros de camino ignis ardentes, & Danielem de lacu leonum; ita nunc eadem clementia liberare digneris hanc creaturam tuam *N.* Sanguine Filij tui redemptam, & vnda Baptismatis regeneratam, ab omni vexatione malorum spirituum. Et qui dedisti Apostolis potestatem super malignos spiritus & virtutes eorum, ipsosque fugandi à corporibus hominum, & curandi infirmos; ita nunc mihi indigno famulo tuo concedere digneris dono tuæ gratiæ virtutem fugandi istas contrarias potestates tenebrarū ab hac creatura tua *N.* virtute tua, & inuocatione sanctissimi nominis tui. Per Christum Dominum nostrum. *Resp.* Amen.      Oremus.

**O**Mnipotens semperne Deus, Pater Domini nostri Iesu Christi, te suppliques exoramus, vt imperes spiritibus istis qui hunc famulum tuum *N.* detinent, vt ab eo recedant: libera eum, quia credit in verum liberatorem Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum: *Qui tecum viuit,* &c.

*Hic Sacerdos surgat ab oratione, & asperget obfes-*

156 MANVALIS EXORCISMORVM  
obfessum Aqua benedicta, & dicet energumenus vel maleficiatus generalem Confessionem  
- ut fit initio Missæ , Confiteor Deo omnipo-tenti, &c. vel lingua vulgari que solet pre-mitti Confessioni Sacramentali. Qua facta, Sa-cerdos impendet generalem absolutionē, dicen-do, Misereatur tui, &c. Indulgentiam, abso-lutionem, &c. posteā leget frequentes Oratio-nes super afflictum. Oremus. Oratio.

**D**omine Deus omnipotens, qui dixisti conuersionem te malle peccatoris, quam mortem ; suscipe orationē quam pro famulo tuo N. ante conspectum gloriæ tuae effundimus, ut pariter eum & à peccatis omnibus exuas, & à vexatione diabolice fraudis clementer eripias. Per Dominum nostrum, &c.

Oremus.

**R**espice Domine super hunc famulum tuum, pro quo Dominus noster Iesus Christus non dubitauit manibus tradi no-centium, & crucis subire tormentum. Qui tecum viuit & regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sœcula sœculorum.  
*Resp. Amen.*

Oremus.

**D**eces nostræ humilitatis pro tuitione famuli tui N. oblatas, petimus Domine dignanter exaudi, & ab eius vexatione ma-lignos spiritus tua potestate compesce. Per Dominum nostrum,

Ore.

Oremus.

**D**omine Deus virtutum, suscipe preces  
quas tibi indigni offerimus pro famulo  
tuo N. vt indulta peccatorum suorum re-  
missione, eum ab opprimentis diaboli inua-  
uasione digneris eripere. Per Dominum no-  
strum Iesum Christum, &c. Oremus.

**D**omine sancte, Pater omnipotens, æ-  
terne Deus, qui peccantium animas  
non vis perire; contine iram quam mere-  
mur, & respice propitius super hunc famu-  
lum tuum N. miserabili afflictione labo-  
rantem. Per Dñm nostrum, &c. Oremus.

**D**eus inuictæ virtutis auctor, & ineffabi-  
lis imperij Rex, ac semper magnificus  
triumphator, qui inimicos & aduersarios  
nominis tui ad honorem gloriæ tuæ poten-  
ter expugnas; te supplices deprecamur, vt  
hunc famulum tuum N. ab inuidorum spi-  
rituum vexatione ad laudem nominis tui  
liberare digneris. Per Dominū nostrum, &c.

Oremus.

**S**uccurre, quæsumus Domine, famulo  
tuo N. diabolicis temptationibus crudeli-  
ter afflito, vt per sanctæ Mariæ matris Do-  
mini nostri Iesu Christi, sanctorum Petri  
& Pauli, omniumque Sanctorum & Sancta-  
rum intercessionem ad pristinam mentis &  
corporis sanitatem pertingere mereatur, &

in

158 MANVALIS EXORCISMORVM  
in tua deinceps protectione, ad tui nominis  
gloriam securus permaneat. Per eumdem  
Dominum, &c.

Consequēter leget Exorcista ea quæ sequuntur.

Lectio libri Sapientiæ. Eccli. 36.

**A**lleua Deus manum tuam super gentes alienas, ut videant potestiam tuam. Sicut enim in conspectu eorum sanctificatus es in nobis, sic in conspectu nostro magnificaberis in eis, ut cognoscant te, sicut & nos cognouimus, quoniam non est Deus praeter te, Domine. Innova signa, & immuta mirabilia. Glorifica manū, & brachium dextrum. Excita furorem, & effunde iram. Tolle aduersarium, & afflige inimicum. Festina tempus, & memento finis, ut enarrant mirabilia tua. In ira flammæ deuoretur qui saluatur: & qui pessimant plebem tuam, inueniant perditionem. Cōtere caput principum inimicorum, dicentium: Non est alius praeter nos. Tu autem Domine miserere nostri. *Resp.* Deo gratias.

Lectio sancti Euangelij secundūm

Marcum. *Marc. 16.*

**I**n illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Euntes in mundum vniuersum, prædicate Euangelium omni creaturæ. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit: qui verò non crediderit, condemnabitur.

Signa

Signa autem eos , qui crediderint, hæc sequentur. In nomine meo dæmonia eiicient, linguis loquentur nouis, serpentes tollent: & si mortiferum quid biberint, non eis nocabit: super ægros manus imponent, & bene habebunt. *Resp.* Laus tibi Christe.

Per Euangelica dicta, deleantur omnia nostra delicta, & extinguatur in te omnis virtus diabolica.

*Postea prosequetur exorcizationem.*

A D I V R A T I O .

**A**Diuro te  $\ddagger$ , dæmon , per illum cuius nativitatem Angelus Mariæ Virgini annuntiauit , qui<sup>que</sup> pro nobis peccatori- bus descendit de cælis, ET INCARNA- TVS E S T de Spiritu sancto , natus ex Ma- ria Virgine, ET HOMO FACTVS E S T . Adiuro te  $\ddagger$ , dæmon , per eumdem qui panniculis inuolutus in præsepio iacere voluit , qui infantiles necessitates sustinens, vberibus virgineis lactatus , pastoribusque nuntiatus fuit ; qui<sup>que</sup> , vt Legem imple- ret , circumcidì voluit. Adiuro te  $\ddagger$ , dæ- mon , per eumdemmet qui Magis ( stellâ præuiâ) manifestum se fecit , in temploque præsentatus in vlnis Simeonis exceptus est, & in Ægyptum fugit . Adiuro te  $\ddagger$ , dæ- mon, per eumdem qui inuentus in templo in medio Doctorum fuit , & qui à Ioanne bapti-

160 MANVALIS EXORCISMORVM  
baptizari voluit, in deserto quadraginta die-  
bus & quadraginta noctibus ieunauit, & à  
diabolo tentari se permisit. Adiuro te ♫, dæ-  
mon, per eumdem qui vocatus ad nuptias,  
aquam conuertit in vinum, quique cæcos  
illuminauit, surdos fecit audire, claudos  
ambulare, & qui infirmos propria virtute  
& potestate sanauit. Adiuro te ♫, dæmon,  
per illum qui dæmones è corporibus obse-  
sis expulit, qui leprosos mundauit, mortuos  
fuscitauit, cæco nato lumen restituit, super  
aqua siccis pedibus ambulauit. Adiuro  
te ♫, dæmon, per eumdem qui in monte  
sancto coram discipulis suis transfiguratus  
est, & qui Chananaem pro filia sua rogan-  
tem exaudiuit, mulieremque deprehensam  
in adulterio monuit non amplius peccare,  
& sine cōdemnatione dimisit. Adiuro te ♫,  
dæmon, per eumdem qui Publicanum ad  
pœnitentiam vocauit, Petrum lacryman-  
tem suscepit, quiq; ex itinere fatigatus cor-  
pus suum fame & siti affixit, & compatien-  
do nostris calamitatibus, lacrymatus est.  
Adiuro te ♫, dæmon, per eumdem qui im-  
merito dæmoniacus & potator vini est ap-  
pellatus, qui indigentiam paupertatis susti-  
nuit, quique cum Maria & Martha ad mo-  
numentum Lazari defuncti plorauit, ip-  
sumque Lazarum quatriduanum fœten-  
tem

tem è monumento excitauit; quique præuidens desolationem Ierusalem , fleuit. Adiuro te ✕, dæmon, per eumdem qui dignatus est pedes discipulorum suorum lauare, & qui in cœna panem & vinum suis sanctissimis verbis in Corpus & Sanguinem suum conuerrit , & appropinquante termino suæ passioni, vsque ad sanguineum sudorem ad Patrem orauit, & à Iuda suo discipulo osculo se tradi permisit. Adiuro te ✕, dæmon, per eumdem qui ab impiis derisus, & vinculis ligatus , & ad Pontifices ductus, in concilio Iudæorum accusatus, pugnis & alapis in faciem demum cædi voluit. Adiuro te ✕, dæmon, per eumdem qui sputis & opprobriis affectus, facie velari, colaphis cædi, palmis percuti, & variis iniuriis blasphemari, ad columnam nudus ligari, & pro nobis. vsque ad sanguinem verberari voluit. Adiuro te ✕, dæmon, per eumdem qui à Pilato traditus fuit militibus, & ab eis veste purpurea induitus, spinis coronatus, arundine percussus, & genuflexionibus subsannatus fuit. Adiuro te ✕, dæmon, per eumdem qui Rex Iudæorum iustè nominatus, à Pilato iniustè iudicatus, veste purpurea exutus, & vestimentis suis denudò induitus, ligno crucis oneratus, ad montem Caluariæ ductus , & cum latronibus depuratus est.

L. Adiu-

## 162 MANVALIS EXORCIS MORM

Adiuro te ✕, dæmon, per eumdem, qui vestibus propriis coram omnibus exutus, in cruce eleuatus brachiis extensis, durissimis clavis in ea affixus, à prætereuntibus, ab ipsisque Pontificibus blasphematus fuit. Adiuro te ✕, dæmon, per eumdem, cuius labia dulcissima & melliflua siti aruerunt, quique faciem suā speciosam verberibus affectam, ut leprosam ostendit, & pro suis crucifixoribus Patrem exorauit, latronem in cruce exaudiuit, matrē propriam Ioanni cōmendauit. Adiuro te ✕, dæmon, per eumdem qui sitiens felle & aceto potatus fuit, quique ad Patrem suum magna voce clamans, dixit : In manus tuas commendo spiritum meum : qui venerandum illud caput suum inclinans, spiritum emisit. Adiuro te ✕, dæmon, per eumdemmet qui pretioso Sanguine suo totum mundum redemit ; quique lanceā in latere suo perfossum fuit, ex quo sanguis & aqua exiuit. Adiuro te ✕, dæmon, per eumdem qui de cruce vespere fuit depositus, quique in monumento nouo sepultus, maxima cum virtute ad inferos descendens portas æreas confregit, & potentiam suā diabolum vicit, & infernum expoliauit. Adiuro te ✕, dæmon, per eūdem qui tertia die resurgens à mortuis, Mariæ Magdalena & discipulis suis apparuit, die vero quadragesima

gesima illis videntibus in cælum ascédit, &  
die Pentecostes Spiritum sanctū Paraclitum  
in linguis igneis super illos misit, & per eum-  
dem qui venturus est iudicare viuos & mor-  
tuos, & te maledicē diabole, & sæculum  
per ignem, ut statim exeras & recedas ab hoc  
famulo Dei N. cum omnibus iniquitatibus,  
maleficiis, incantationibus, ligaturis, & fa-  
cturis tuis, numquam ad eum redditurus.  
Nec te lateat, maledicē satan, nec te lateat,  
creatura damnata, & reprobata, & maledi-  
cta à Deo in æternum propter nequitiam  
tuam. Nec te lateat, spiritus immunde, ubi-  
cumque latitas in corpore istius creaturæ  
Dei N. imminere tibi diem iudicij sempiterni,  
diemque qui venturus est velut cliba-  
nus ardens, in quo tibi & omnibus angelis  
tuis apostaticis æternus superueniet interitus.  
Et ideo pro tua nequitia damnate at-  
que damnande, da honorem Deo viuo &  
vero, da honorem Iesu Christo Deo & Sal-  
uatori nostro, da honorem Spiritui sancto  
Paraclito, in cuius nomine atque virtute  
ego præcipio tibi, immunde spiritus, ubi-  
cumque latitas in corpore istius N. ut exeras  
& recedas ab eo, & numquam de cetero ad  
ipsum accedas: quia istum Deus & Domi-  
nus noster Iesus Christus ad suam sanctam  
gratiam & benedictionem, fontemque Ba-

L 2                   ptisma-

164 MANVALIS EXORCISMORVM  
ptismatis, dono suæ gratiæ vocare dignatus  
est, vt fieret eius templum, per aquam rege-  
nationis, & remissionem omnium pecca-  
torum, & per nomen & virtutem eiusdem  
Dei & Domini nostri Iesu Christi : qui ven-  
turus est iudicare viuos & mortuos, & sœcu-  
lum per ignem. *Resp.* Amen.

A D I V R A T I O.

**V**rageat ergo te Dominus noster Iesus  
Christus Dei filius, vrgeant te Angeli  
Dei, vrgeant te Archangeli, vrgeant te Pa-  
triarchæ & Prophetæ, vrgeant Apostoli &  
Euangelistæ, vrgeant te Martyres, vrgeant  
te Confessores, vrgeant te Virgines, vrgeant  
te omnes Sancti & electi Dei, & omnes at-  
tes & insidiæ tuæ indies deficiant. Non ergo  
inuideatis ulteriùs, ô rebelles Deo, huic  
pristinam fortitudinem & sanitatem, non  
vexetis eum amplius, nec impediatis qua-  
rentem vitam æternam.

*Alia* A D I V R A T I O.

**C**hristi nomine inuocato, & auctoritate  
Iipsius Domini nostri Iesu Christi, quam  
suis Apostolis & eorum successoribus, &  
omnibus in ipsum credentibus dedit, dicēs:  
*Luc. 10.* Ecce dedi vobis potestatem calcandi super  
serpentes & scorpiones & super omnem  
*Marc. 16.* virtutem inimici. Et in alio loco, Signa eos,  
qui crediderint, hæc sequentur: In nomine  
meo

meo dæmonia eiicent, & super ægros manus imponent, & benè habebunt; ego peccator & minister Christi adiuro vos + omnes nefandos & Deo rebelles spiritus, iusto Dei iudicio æternis & infernalibus ignibus deputatos, per omnipotentiam Dei Patris, & per sapientiam Filij, & per virtutem Spiritus sancti, & per immensitatem, æternitatem, pulchritudinem, nobilitatem & excellentiam Dei: ut ab hac creatura Dei reddatis, & cedendo agnoscatis quod ipse est Deus omnium, à quo omnia, per quem omnia, in quo omnia, cui omnis decor & gloria conuenit, quem omnes cælestes potestates adorant & contremiscunt: & eadem auctoritate præcipio vobis ut hanc creaturam Dei N. sanam, ut inuenistis, relinquistis, numquam ad eam amplius redeuntes; & ad locum, ybi nullam creaturam Dei lædere possitis, protinus abeatis; per illius virtutem & potentiam qui venturus est iudicare viuos & mortuos, & sæculum per ignem.

## EXORCISMVS.

*Vers.* Adiutorium nostrum in nomine  
Domini. *Resp.* Qui fecit cælum & terram.  
*Vers.* Sit nomen Dñi benedictum. *Resp.* Ex  
hoc nunc & usque in sæculum. *Vers.* Kyrie  
eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater

L 3 noster.

## 166 MANVALIS EXORCISMORVM

noster. *Vers.* Saluum fac seruum tuum.  
*Resp.* Deus meus sperantem in te. *Vers.* Ni-  
 hil proficiat inimicus in eo. *Resp.* Et filius  
 iniquitatis nō apponat nocere ei. *Vers.* Mit-  
 te ei Domine auxilium de sancto. *Resp.* Et  
 de Sion tuere eum. *Vers.* Esto ei, Domine,  
 turris fortitudinis. *Resp.* A facie inimici.  
*Vers.* Domine exaudi orationem meam.  
*Resp.* Et clamor meus ad te veniat. *Vers.* Do-  
 minus vobiscum. *Resp.* Et cum spiritu tuo.

Oremus.

*Oratio.*

**D**omine Deus, propitius esto mihi pec-  
 catori, qui omnes homines vis saluos  
 fieri, & ad agnitionem veritatis tuæ venire:  
 suscipe orationem meam, quam pono ante  
 conspectum clementiæ tuæ, pro famulo  
 tuo N. qui à dæmonio vexatur, & eum ad  
 misericordiam tuam peruenire concede.  
 Per Dominum nostrum, &c.

Exi ab eo, satana, & da locum Spi-  
 ri-  
 tui sancto Paraclito: exi foras, spiritus im-  
 munde, ab hac creatura Dei **A.** in nomine  
**Iesu.**

Oremus, fratres charissimi, pro hac crea-  
 tura Dei N. quæ secundūm carnem à dæ-  
 monio vexatur: ut desuper illi mittat Deus  
 Angelum pacis & Angelum salutis cum  
 medela cælesti, & ut eam visitare & liberare  
 dignetur.

*Ore-*

## Oremus.

**D**omine sancte, Pater omnipotens, ax-  
terne Deus, per impositionem manuum  
mearum, virtute tua, refugiat diabolus ab  
vniuersis compaginibus membrorum istius  
creatuarum tuarum N. in nomine Domini nostri  
Iesu Christi, qui nos suo Sanguine redemit.  
Qui vetus est iudicare viuos & mortuos,  
& saeculum per ignem. *Resp.* Amen.

## Oremus.

**D**eus Angelorum, Deus Archangelo-  
rum, Deus Prophetarum, Deus Apo-  
stolorum, Deus Martyrum, Deus Confes-  
sorum, Deus Virginum, Deus & Pater Do-  
mini nostri Iesu Christi, te inuoco, & nomine  
sanctum tuum, ac præclaræ maiestatis tuarum  
clementiam supplex deposco, ut mihi auxi-  
lium tuum præstare digneris aduersus hunc  
nequissimum spiritum: ut ubicumque sit,  
audito nomine tuo velociter exeat & rece-  
dat. Per Christum Dominum nostrum.  
*Resp.* Amen.

## ADIVRATIO.

**I**pse tibi imperat, maledicte diabole, qui  
ventis, ac mari, & tempestatibus impera-  
uit. Ipse tibi imperat, qui te de supernis cæ-  
lorum in inferiora terrarum demergi præcepit.  
Ipse tibi imperat, qui te super pectus tuum  
ire præcepit. Audi ergo, satana, & time, &

L 4

victus

168 MANVALIS EXORCISMORVM  
victus & prostratus recede, adiuratus in no-  
mine Domini nostri Iesu Christi. Tu ergo,  
nequissime spiritus, qui es inimicus huma-  
ni generis, mortis auctor, iustitiæ osor, ma-  
lorum radix, fons vitiorum, seductor ho-  
minum, proditor gentium, incitator inui-  
diæ, causa discordiæ, origo auaritiæ, excita-  
tor dolorum, qui resistis Sanctis, cùm scias  
te amittere vires per eum qui in Isaac est  
immolatus, in Joseph venumdatus, in agno  
Paschali occisus, & in homine crucifixus,  
ab eodem superatus recede in nomine Pa-  
tris, & Fiſlij, & Spiritus + sancti: & da  
locum Spiritui sancto per hoc signum san-  
ctæ Crucis Domini nostri Iesu Christi, qui  
venturus est iudicare viuos & mortuos, &  
ſæculum per ignem.

Oremus.

**D**omine sancte, Pater omnipotens, æ-  
terne Deus, qui illum satanam refu-  
gam tyrannum deputasti gehénæ: qui Uni-  
genitum tuum in hunc mundum misisti, ut  
illum rugientem leonem contereret: velo-  
citer attende, & accelera ut eruas homi-  
nem, ad imaginem & similitudinem tuam  
formatum, à ruina & dæmonio meridiano.  
Da, Domine, terrorē tuum super bestiam,  
qua exterminauit vineam tuam: da fidu-  
ciam seruis tuis contra hunc nequissimum  
ſpiri-

spiritum fortiter stare: exaudi sperantes in te, quia tu es Deus solus: & ne dicat, sicut olim in Pharaone dixit; Deum non noui, & Israel non dimittam. Urgeat illum, Domine, potens dextera tua discedere à famulo tuo N. nec diutiūs præsumat tenere captiuum hominem, quem tu ad imaginem tuam facere dignatus es, & in fine sæculi per Sanguinem Filij tui redemisti. Per eumdem Dominum nostrū Iesum Christum filium tuū, qui venturus est iudicare viuos & mortuos, & sæculum per ignem. *Resp.* Amen.

Oremus.

**O**mnipotens sempiterne Deus, Pater Domini nostri Iesu Christi: te supplices deprecamur, impera diabolo qui hunc famulum tuum N. detinet, quem Filius tuus vnigenitus redemit suo Sanguine, ut ab eo recedat. Libera eum à vexatione immundorum spirituum ut maiestati tuæ secura mente deseruiat, consecutus gratiam Spiritus sancti. Qui tecum & cum vnigenito Filio tuo viuit & regnat, per omnia sæcula sæculorum. *Resp.* Amen.

Oremus.

**R**epelle, Domine, ab hoc famulo tuo N. omnem infestationē inimici: ut redintegrata sua pristina sanitate, ad gratiarum tua clementia redeat actionem. Per Christum Dominum nostrum. *Resp.* Amen.

L 3

Ore-

## Oremus.

**D**eus conditor & defensor humani generis, qui hominem ad similitudinem tuam formasti: respice super hunc famulum tuum N. qui dolis inuidi serpentis appetitur, quem vetus aduersarius & hostis antiquus formidinis horrore circumuoluit, & sensum mentis stupore defigit, atque terrore conturbat, & motu trepido timoris exagitat. Repelle, Domine, virtutem diaboli, & fallaces insidias eius amoue, ut impius tentator effugiat: sitque nominis tui signo famulus tuus in anima tutus & corpore. Tu pecto~~+~~ris eius interiora custodias, viscera~~+~~ regas, cor~~+~~ confirmes. In anima~~+~~ aduersariæ potestatis tentamenta euanescant. Da, Domine, ad hanc inuocationem nominis tui gratiam, ut qui hucusq; terrebat, territus exeat, & victus abscedat; tibiq; possit hic famulus tuus corde firmato & mente sincera debitum præbere famulatum. Per eum qui venturus est iudicare viuos & mortuos, & sæculum per ignem. *Resp.* Amen.

## A D I V R A T I O.

**A**Diuro vos, spiritus, & angeli maligni, & persecutores Christianorum, per Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum: per aduentum Domini nostri Iesu Christi: per annuntiationem Gabrielis Archangeli

ad

ad Mariam virginem, per nativitatem Domini, per humilitatem infantiae eius, & persecutionem ab Herode, per passionem Domini nostri Iesu Christi, per patibulum crucis eius, per sepulturam eius: per resurrectionem eius, per ascensionem eius in cælum, & per aduentum eius ad iudicandum inter iustos & peccatores: & per omnes etiam virtutes cælorum, & per choros Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, & Virginum, atque omnium Sanctorum Dei, ut non præsumatis infestare aut ulterius fatigare hunc famulum Dei N. Per eumdem Dominum nostrum Iesum Christum, qui vetus est iudicare viuos & mortuos, & sæculum per ignem.

Oremus.

**O**mnipotens sempiterne Deus, petimus humili prece diuinam clementiam tuam, ut famulum tuum N. quem conspiciimus ab antiquo hoste satana grauiter tentari, & in sensu suo perturbari atque vexari, ab eius impetu clementer eripias; & hominem tuis manibus formatum, à ruina & dæmonio meridiano liberes: Per Dominum nostrum Iesum Christum, &c. Oremus.

**D**omine Iesu Christe, qui dedisti potestate discipulis tuis super omnia dæmonia, ut eiicerent ea de corporibus obfisis:

172 MANVALIS EX ORCISMORVM  
sis: nos indigni serui tui inuocamus nomen  
sanctum tuum super hunc famulū tuum N.  
quem vexat diabolica sœ uitia , vt per virtu-  
tem tuam diabolum conteras , & eiicias de  
corpo huius facturæ tuæ , fiatque mun-  
dum & expiatum à dæ monे , quod Bapti-  
smi aqua ablutum est & purificatum: Per te,  
**Christe Saluator mundi**, qui viuis & regnas  
cum Deo Patre , in vnitate Spiritus sancti  
Deus, &c. *Resp.* Amen.

E X O R C I Z A T I O.

**E**Xorcizo te , immunde spiritus , draco,  
basilisce, serpens noxie , per Deum Pa-  
trém omnipotentem, per verbum veritatis,  
& per signum sanctæ Cruſcis Iesu Christi  
Nazareni , & per Agnum immaculatum,  
per Filium Dei de altissimis progressum, de  
Spiritu sancto conceptum , de Maria virgi-  
ne natum, vt recedas ab hoc famulo Dei N.  
Adiuro te per eum , quem Ioannes videns  
exclamauit, dicens ; Ecce agnus Dei; ecce  
qui tollit peccata mundi. Qui venturus est  
iudicare viuos & mortuos , & sæculum per  
ignem. *Resp.* Amen.

*Alia EX ORCIZATI O.*

**E**Xorcizo te , spiritus immunde, exi ab  
hac creatura Dei per inuocationē Do-  
mini nostri Iesu Christi . Non tibi impero  
ego peccator, sed tibi imperat agnus imma-  
cula-

culatus Iesus Christus Dominus noster, Dei filius. Urgeant te de te triumphantes Angeli atque Archangeli, urgeant te Apostoli, urgeant te Martyres, urgeant te Confessores, urgeant te Virgines. Deficiant vires tuæ diabolicæ. Relinque pristinam fortitudinem membris eius, & sensibus sanitatem. Non in esca, non in potu ei noceas: non superuenias vigilanti, nec dormienti: nec te moueas contra eum, nec impedias quærentem vitam æternam. Per eum qui venturus est iudicare viuos & mortuos, & sæculum per ignem. *Resp.* Amen.      Oremus.

**T**Ergo, Domine Deus noster, supplices exoramus; ut visitatione tua sancta serues famulum tuum *N.* ne inimicus tuus in anima ista triumphare incipiat.

Vnde, maledicte satana, recognosce sententiam tuam: da honorem Deo  $\ddagger$  viuo & vero, da honorem Iesu  $\ddagger$  Christo filio eius, & Spiritui  $\ddagger$  sancto Paraclito, & recede ab hoc famulo Dei *N.* Tibi præcipio, damnate immunde spiritus, hostis humani generis, per Deum Patrem omnipotentem, inuisibilem, incomprehensibilem, atq; immortalē, qui fecit cœlum & terram, mare, & omnia quæ in eis sunt, eradicare ab hoc famulo Dei *N.* ita ut yltrà in eo locum non habeas; sed tu, Deus omnipotens, propitius esto, ut corpus

174 MANVALIS EXORCISMORVM  
corpus à dæmonibus obfessum , à tota ne-  
quitia diabolica gratia tua eximatur . Per  
Dñm nostrum Iesum Christum filiū tuum ,  
qui venturus est iudicare viuos & mortuos ,  
& sæculum per ignem . *Resp. Amen.*

*Possunt etiam dici Euangelia aliqua, scilicet ,*  
Initium sancti Euangelij secundum Ioan-  
nem . fol . 40 . vel alia fol . 41 . & 77 . Item  
*Psalmi sequentes .* *Psalmus 69.*

**D**eus in adiutorium meum intende :  
Domine ad adiuuandum me festina .

Confundantur & reuereantur : qui qua-  
runt animam meam .

Auertantur retrorsum , & erubescant : qui  
volunt mihi mala .

Auertantur statim erubescentes : qui di-  
cunt mihi , Euge , euge .

Exultent & lætentur in te omnes qui que-  
runt te : & dicant semper , Magnificetur  
Dominus , qui diligit salutare tuum .

Ego verò egenus & pauper sum : Deus ad-  
iuua me .

Adiutor meus , & liberator meus es tu :  
Domine ne moreris .

Gloria Patri , & Filio . *Psalmus 10.*

**I**n Dño confido , quomodo dicitis animæ  
meæ : Transmigra in mótem sicut passer ?

Quoniam ecce peccatores intenderunt  
arcum , parauerunt sagittas suas in pharetra :

vt

vt sagittent in obscuro rectos corde.

Quoniam quæ perfecisti destruxerunt:  
iustus autem quid fecit?

Dominus in templo sancto suo : Domi-  
nus in cælo sedes eius.

Oculi eius in pauperem respiciunt: paipe-  
bræ eius interrogant filios hominum.

Dominus interrogat iustum & impium:  
qui autem diligit iniquitatem, odit animam  
suam.

Pluet super peccatores laqueos : ignis, &  
sulphur, & spiritus procellarum pars calicis  
eorum.

Quoniam iustus Dominus , & iustitias  
dilexit : æquitatem vedit vultus eius.

Gloria Patri.                           *Psalmus 51.*

**Q** Vid gloriaris in malitia : qui potens es  
in iniquitate?

Tota die iniustitiam cogitauit lingua tua:  
sicut nouacula acuta fecisti dolum.

Dilexisti malitiam super benignitatem:  
iniquitatem magis , quam loqui æquita-  
tem.

Dilexisti omnia verba præcipitationis:  
lingua dolosa.

Propterea Deus destruet te in finem :  
eueller te , & emigrabit te de tabernaculo  
tuo, & radicem tuam de terra viuentium.

Videbunt iusti, & timebunt, & super eum  
ride-

176 MANVALIS EXORCISMORVM  
ridebunt, & dicent : Ecce homo , qui non  
posuit Deum adiutorem suum.

Sed sperauit in multitudine diuitiarum  
suarum : & præualuit in vanitate sua.

Ego autem sicut oliua fructifera in domo  
Dei: sperauit in misericordia Dei in æter-  
num, & in sæculum sæculi.

Confitebor tibi in sæculum, quia fecisti  
& expectabo nomen tuum , quoniam bo-  
num est in conspectu sanctorum tuorum.

Gloria Patri, & Filio: & Spiritui sancto.

Sicut erat in principio, & nunc , & sem-  
per: & in sæcula sæculorum, Amen.

*Psalmus 67.*

**E**Xurgat Deus , & dissipentur inimici  
eius: & fugiant, qui oderunt eum, à fa-  
cie eius.

Sicut deficit fumus , deficiant : sicut fluit  
cera à facie ignis , sic pereant peccatores à  
facie Dei.

Et iusti epulentur , & exultent in conse-  
ptu Dei : & delectentur in lætitia.

Cantate Deo, psalmū dicite nomini eius:  
iter facite ei qui ascendit super occasum,  
Dominus nomen illi.

Exultate in conspectu eius: turbabuntur  
à facie eius, patris orphanorum , & iudicis  
viduarum.

Deus in loco sancto suo : Deus, qui inha-  
habit.

bitare facit vnius moris in domo.

Qui educit vinclatos in fortitudine: similiter eos qui exasperant, qui habitant in se-pulchris.

Deus cùm egredereris in conspectu populi tui: cùm pertransires in deserto.

Terra mota est, etenim cæli distillauerunt à facie Dei Sinai: à facie Dei Israel.

Pluuiam voluntariam segregabis Deus hereditati tuæ, & infirmata est: tu verò perfecisti eam.

Animalia tua habitabunt in ea: parasti in dulcedine tua pauperi Deus.

Dominus dabit verbum euangelizantibus: virtute multa.

Rex virtutum dilecti dilecti: & speciei domus diuidere spolia.

Si dormiatis inter medios clerros, pennæ columbæ deargentatæ: & posteriora dorsi eius in pallore auri.

Dum discernit cælestis reges super eam, niue dealbabuntur in Selmon: mons Dei, mons pinguis.

Mons coagulatus, mons pinguis: vt quid suspicamini montes coagulatos?

Mons, in quo beneplacitum est Deo habitare in eo: etenim Dominus habitabit in finem.

Currus Dei decem millibus multiplex,

M mil-

178 MANVALIS EXORCISMORVM  
millia lætantium: Dominus in eis in Sina in  
sancto.

Ascendisti in altum, cepisti captiuitatem:  
accepisti dona in hominibus.

Etenim non credentes: inhabitare Domi-  
num Deum.

Benedictus Dominus die quotidie: pro-  
sperum iter faciet nobis Deus salutarium  
nostrorum.

Deus noster, Deus saluos faciendi: &  
Domini Domini exitus mortis.

Verumtamen Deus confringet capita ini-  
micorum suorum: verticem capilli peram-  
bulantium in delictis suis.

Dixit Dominus, Ex Basan conuertam:  
conuertam in profundum maris.

Vt intingatur pes tuus in sanguine: lin-  
gua canum tuorum ex inimicis ab ipso.

Viderunt ingressus tuos Deus: ingressus  
Dei mei, regis mei, qui est in sancto.

Præuenerunt principes coniuncti psal-  
lentibus: in medio iuuicularum tympa-  
nistriarum.

In ecclesiis benedicite Deo Domino: de  
fontibus Israel.

Ibi Beniamin adolescentulus: in mentis  
excessu.

Principes Iuda, duces eorum: principes  
Zabulon, principes Nephthali.

Man-

Manda Deus virtuti tuæ: confirmā hoc  
Deus, quod operatus es in nobis.

A templo tuo in Ierusalem: tibi offerent  
reges munera.

Increpa feras arundinis, congregatio tau-  
rorum in vaccis populorum: ut excludant  
eos, qui probati sunt argento.

Dissipa gentes quæ bella volunt, venient  
legati ex Ægypto: Æthiopia præueniet ma-  
nus eius Deo.

Regna terræ cantate Deo: psallite Dño.

Pshallite Deo, qui ascendit super cælum  
cæli: ad Orientem.

Ecce dabit voci suæ vocem virtutis, date  
gloriam Deo super Israel: magnificentia  
eius, & virtus eius in nubibus.

Mirabilis Deus in Sanctis suis, Deus Israel  
ipse dabit virtutem & fortitudinem plebi  
suæ: benedictus Deus.

Gloria Patri, & Filio: & Spiritui sancto.

Sicut erat in principio, & nunc, & sem-  
per: & in sæcula sæculorum. Amen.

*Litanie cum Precibus & Orationibus suis di-  
cantur prout fol. 141. Deinde sæpius repetan-  
tur isti Versus sequentes, signando energume-  
num signo Crucis vel eius imagine: & ad sin-  
gulos Versus assistentes respondeant: Vicit leo  
de tribu Iuda, radix Dauid. Vers. Ecce  
Crucem Domini, fugite partes aduersæ.*

M 2                    Resp. Vi-

180 MANVALIS EXORCISMORVM  
*Resp.* Vicit leo de tribu Iuda , radix Dauid.  
*Vers.* Ecce vexillum redemptionis nostræ,  
ideò fugite partes aduersæ. *Resp.* Vicit leo  
de tribu Iuda, radix Dauid. *Vers.* Ecce signū  
confusionis vestræ , ideò fugite partes ad-  
uersæ. *Resp.* Vicit leo de tribu Iuda , radix  
Dauid.

*Quandocumque Exorcista voluerit conclu-*  
*dere pro illa vice exorcizationem, & necdum*  
*diabolus reliquerit obfessum, dicet Exorcista*  
*sequentem Protestationem magna fide & fia-*  
*cia cum subsequente Exorcismo.*

#### PROTESTATIO.

**Q** Vandoquidem , superbi ac maledicti  
dæmones, ad diuini nominis inuoca-  
tionem ab huius creaturæ eius vexatione  
non desistitis ; ne illud vobis impunè futu-  
rum existimetis , quoniam ignis , grando,  
nix, glacies, & spiritus procellarum pars erit  
calicis vestri.

#### EXORCISMVS.

**I**Mperet Deus vobis omnibus spiritibus  
immūdis qui estis in hoc corpore, quate-  
nus non præsumatis ascendere superiùs ad  
caput vel ad membra huius creature Dei N.  
aut ipsam lædere : sed sinatis ipsam orare,  
comedere, bibere, quiescere, & omnia illa  
agere quæ spectant sanitatem corporis &  
animæ suæ , atque ad honorem Dei om-  
nipo-

id.  
rx,  
eo  
nū  
dix  
lu-  
um  
sta  
du-  
-  
icti  
ca-  
one  
tu-  
do,  
erit  
  
bus  
ate-  
ad  
i N.  
are,  
illa  
s &  
om-  
ip-  
cipotens: Qui viuit & regnat in sæcula  
sæculorum. *Resp.* Amen.

*Deinde asperget eum & assistentes Aqua  
benedicta, dicens:* Discedant omnes insidiæ  
latentis inimici, & si quid est, quod aut in-  
columitati habitantium inuidet, aut quieti,  
asperzione huius aquæ effugiat, Per eum qui  
venturus est iudicare viuos & mortuos, &  
sæculum per ignem.

*Et breuiter afflictum in materna lingua  
consolando & commonendo, dimittet illum in  
domum suam cum benedictione.*

E X O R C I S M V S ad compellendum  
dæmonem ut restituat chirogra-  
phum quo homo se illi obligauit.

Oremus.                    *Oratio.*

CLEMENTISSIME Deus, cuius po-  
tentia non est finis, qui in omnes crea-  
turas tuas & res earum supremum habes  
semperque retines dominium, ita ut nihil  
sit quod tuo etiam per apostasiam eximi  
possit imperio. Peccauimus in te, tuamque  
prouocauimus iustissimam iracundiā, quan-  
do tuis mandatis non obediuimus. Atque  
tunc maximè, quando ab amicitia tua &  
Dño fugientes, te abnegauimus, & impio-  
rum dæmonum confortio nos adiunximus:

M 3                    &

182 MANVALIS EXORCISMORVM  
& quasi non sufficeret abnegasse te, etiam  
per scripturam nos dæmonibus obligau-  
imus, & chirographum illud voluntariæ ob-  
ligationis contra te illi tradidimus afferuan-  
dum. Verūm, clementissime Domine, quia  
misericordiæ quoque tuæ non est numerus,  
& tibi proprium est misereri semper & pa-  
cere; hæc tua creatura, quæ te abnegato se  
dæmonibus tradito chirographo obligauit,  
in se infinita tua bonitate reuersa, suam de-  
testatur impietatem, & timore tuo com-  
puncta, abnegato rursus dæmone, tibi vero  
suo Domino subdi, atque in gratiam tuam  
recipi contrito corde desiderat. Scimus  
Domine, te cor contritum & humiliatum  
numquam despicere, neque chirographum  
illud misericordiæ tuæ ullum impedimen-  
tum ponere posse; ideoque supplices te de-  
precamur, vt abundantia pietatis tuæ no-  
tantum huius peccati impietatem, per San-  
guinem filij tui Domini nostri Iesu Christi  
remittas, sed & dæmonem ad restituendum  
chirographum obligationis & tradi-  
tionis illius verbo virtutis tuæ compellas:  
ne de sua tyrannide glorietur, ne ius ali-  
quod prætendant in hominem, quem per Fi-  
lium tuum peccatorum suorum vinculis  
absolui deprecamur. Per eundem Domi-  
num nostrum Iesum Christum, &c.

EXOR-

## EXORCISMVS.

**E**XORCIZO te, impie satan, qui cùm tuo excideris principatu, tyrannicum in homines semper affectas imperiū. Exorcizo te per Iesum Christum, qui venit in hūc mundum peccatores saluos facere, vt ab hac creatura, quæ tuis fraudibus decepta se tibi tradidit, omne tuum imperium festinus amoueas. Ex hoc enim rursus te deferens, diuinæ misericordiæ se committit, vt ei seruat cui se totam debet, quique seruentibus sibi æternæ vitæ mercedem promisit. Exorcizo te per pretiosum Sanguinem Iesu Christi, quo deletum est chirographum decreti quod erat nobis cōtrarium, ita vt suscipiente Iesu peccatorem in gratiam suam, aduersus eum nihil amplius debeas præsumere, vt chirographum quo hæc creatura se tibi obligauit, cùm per Sanguinem Christi abolitum sit, hīc restituere non morēris.

Audi maledicte satan, Dei seruus nullani habet potestatem, vt inuito Domino suo, alterius se subiiciat seruituti: vnde tu frustrè in vano isto gloriaris chirographo; ac proinde in nomine Domini tibi præcipio vt illud restituas, nec penes te diutiùs serues: vt omnibus constet, Deo peccatorem in gratiam recipiente, nullum tibi in animam eius restare imperium.

M. 4

Ad.

Adiuro te per eum, qui te, cum in atrio tuo tamquam fortis armatus gloriareris, ea-que quae possidebas in pace tenere praesumeres, infinitis partibus fortior superuenies vicit, & atrio te eiecit, tuaque arma in quibus vanè confidebas abstulit, & spolia dis-tribuit. Redde igitur nunc chirographum, quo haec Dei creatura stulte seipsum tibi tradidit in seruitutem. Redde, inquam, in nomine eius a quo es deuictus: & cum tuam tyrannicam potestatem iuste amiseris, non praesumas illius vanum chirographum diu-tius retinere. Iam enim per pœnitentiam haec Dei creatura vero suo Domino se resti-tuit, & tyrannidem tuam spernit, atque in Dei misericordia aduersus tuas impugna-tiones sperat inuenire protectionem, adiu-ante sanctissima & gloriosissima virginem Dei genitricem Mariam, cuius intercessione quod per se consequi digna non est, a filio eius Iesu Christo obtineat. Per eundem Dominum nostrum.

**E X O R C I S M V S** ad compellendum  
dæmonem ut traditam sibi ab ho-mine Eucharistiam restituat.

Oremus.

**D**omine Deus omnipotens, qui Filium tuum, ut assumptus carnis œconomiā im-ple-

pleret, in deserto tentari à diabolo, & supra  
pinnaculum templi statui, atque in mótem  
excelsum transferri voluisti; rogamus im-  
mensam clementiam tuam, ut diaboli te-  
meritate, qua Sacramentum Eucharistiae,  
in quo idem Filius tuus corporaliter præ-  
sens est, auferre præsumpsit, coërcita, eum  
per sanctos Angelos tuos ad illud restituен-  
dum in locum per nos designatum compel-  
las. Per eumdem Dominum nostrum Ie-  
sus Christum filium tuum, qui tecum vi-  
uit & regnat in unitate Spiritus sancti Deus,  
per omnia sæcula sæculorum. *Resp.* Amen.

## Oremus.

**D**omine Iesu Christe, qui sub speciebus  
panis & vini sacrosanctum Eucharistię  
Sacramentum sic instituisti, ut quamvis eo  
sacrum Corpus & Sanguis tuus pretiosus  
substantialiter contineatur, omnia tamen  
circa illud admitti possent, quibus ratione  
specierum visibilium panis & vinum in se  
sunt obnoxia: supplices te rogamus, ut di-  
missa iniquitate, qua hic sacrilegis manibus  
idem Sacramentum dæmoni tradere aspor-  
tandum veritus non est, verbo virtutis dæ-  
monem ad illud in loco ad hoc præparato  
restituendum compellere digneris; ut serui  
tui, qui de tanti Sacramenti iniuria contri-  
stantur, ad nominis tui gloriam de eiusdem

8  
M 5

resti-

186 M A N V A L I S E X O X C I S M O R V M  
restitutione lætentur: Qui viuis & regnas  
cū Deo Patre in vnitate Spiritus sācti Deus,  
per omnia sācula sāculorum. *Resp.* Amen.

E X O R C I S M V S.

**A**DIVRO te, nequissime spiritus, quo  
hominem, vt tuæ captiuitatis vinculis  
tenaciùs innodares, eò dementiæ induxisti,  
vt sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum  
tibi tradere non sit veritus, quod & tu susci-  
pere, & quò à Deo permisus es, asportare  
præsumpsisti. Adiuro te per illud ipsum Sa-  
cramentum, coram quo te contremiscere  
necessè est; vt sicut illud ab homine tradi-  
tum suscepisti, ita ad locum à nobis designa-  
tum restituere non morēris.

Adiuro te per sacratissimum Corpus &  
Sanguinem Christi, quæ in hoc Sacra-  
mento verè & realiter contineri certissima fide  
credimus, vt cùm tu Sacramentum illud  
adorare & debitum illi honorem impende-  
re nec possis, nec velis; ad locum istum con-  
tinuò illud restituas, ab hominibus, prout  
oportet, colendum atque adorandum.

Adiuro te per Iesum Christum Regem  
Regum & Iudicem viuorum & mortuo-  
rum, qui sanctum Eucharistiæ Sacra-  
mentum non dæmonibus, sed nobis hominibus  
in spiritualem cibum potumque reliquit, vt  
fracta contumacia tua, virgæ eius ferre<sup>z</sup>  
sub-

subiectum te vel inuitus agnoscas , & hor-  
rore cruciatus æterni, quem talibus tibi fa-  
ctis accumulas, euestigio sanctissimum illud  
Sacramentum, quod asportare non es veri-  
tus, loco à nobis designato, sine aliqua læsio-  
ne aut perturbatione restituas, ut cum illius  
perceptione indignus sis , ab homine , qui  
per illud veram vitam consequatur iuxta  
Christi promissionem, sumi possit.

Nec te lateat, satana, nullam tibi per hoc  
facinus occasionem dari gloriandi contra  
Christum, quasi in Corpus illius habeas po-  
testatem . Species tantum sunt , quas im-  
pia hominis fretus voluntate , mouere po-  
tuisti : in ipsum verò Christi Corpus nihil  
potes, sed ante illud, etiam cum species mo-  
uere præsumis, horrescere cogeris & contre-  
miscere.

Quid ergo moraris ? in nomine Iesu  
Christi tibi mandamus , ut Sacramentum  
quod impiè transtulisti, huc restituas, & Dei  
ac Iudicis tui timore compulsus , hac ipsa  
restitutione confitearis , nihil te contra hoc  
Sacramentum posse, sed sacrilegi dumtaxat  
hominis fuisse ministrum.

G R A .

GRATIARVM ACTIO  
LIBERATO DÆMONIACO.



*I quando energumenus Dei  
gratia & fauore erit liberatus,  
obseruabit Exorcista ea quæ ha-  
bentur in Instructione, præmis-  
sa gratiarum actione in hunc  
qui sequitur modum, alta voce.*

HYMNVS SS. Ambrosij & Augustini.

**T**E Deum laudamus: te Dominum  
confitemur.

Te æternum Patrem: omnis terra vene-  
ratur.

Tibi omnes Angeli: tibi cæli, & vniuersæ  
potestates.

Tibi Cherubim & Seraphim: incessibili  
voce proclamant:

Sanctus, Sanctus, Sanctus: Dominus  
Deus sabaoth.

Pleni sunt cæli & terra: maiestatis gloriæ  
tuæ.

Te gloriosus Apostolorum chorus,

Te Prophetarum laudabilis numerus,

Te Martyrum candidatus laudat exer-  
citus.

Te per orbem terrarum, sancta confite-  
tur Ecclesia,

Pa-

Patrem immensæ maiestatis.

Venerandum tuum verum, & unicum  
Filium,

Sanctum quoque Paraclitum Spiritum.

Tu Rex gloriae Christe.

Tu Patris sempiternus es Filius.

Tu ad liberandum suscepturus homi-  
nem: non horruisti virginis uterum.

Tu deuicto mortis aculeo: aperuisti cre-  
dentibus regna cælorum.

Tu ad dexteram Dei sedes: in gloria  
Patris.

Iudex crederis esse venturus.

Te ergo quæsumus, tuis famulis subueni:  
quos pretioso Sanguine redemisti.

Æterna fac cum sanctis tuis: gloria mu-  
nerari.

Saluum fac populum tuum Domine: &  
benedic hereditati tui.

Et rege eos: & extolle illos usque in æ-  
ternum.

Per singulos dies, benedicimus te.

Et laudamus nomen tuum in sæculum:  
& in sæculum sæculi.

Dignare Domine die isto: sine peccato  
nos custodire.

Miserere nostri Domine: miserere no-  
stri.

Fiat misericordia tua Domine super nos:  
quem-

190 MANVALIS EXORCISMORVM  
quemadmodum sperauimus in te.

In te Domine sperau: non confundar in  
æternum.

*Quo finito leget sequentia: Vers.* Confi-  
ma hoc Deus quod operatus es in nobis.  
*Resp.* A templo sancto tuo quod est in Ieru-  
salem. *Vers.* Ostende nobis Domine mis-  
ricordiam tuam. *Resp.* Et salutare tuum da  
nobis. *Vers.* Domine exaudi orationem  
meam. *Resp.* Et clamor meus ad te veniat.  
*Vers.* Dominus vobiscum. *Resp.* Et cum spi-  
ritu tuo.

Oremus.

**G**ratias agimus tibi, Domine sancte, Pa-  
ter omnipotens, æterne Deus: gratias  
agimus tibi Christe, Verbum æterni Patris:  
gratias agimus tibi Spiritus alme: gratias agi-  
mus Sanctis omnibus, tum Angelis, tú ho-  
minibus; quia omnipotenti virtute Dei elisus  
est draco. Deus Abraham, Deus Isaac, &  
Deus Iacob, miserere famulo tuo N. à dia-  
bolica potestate liberato, & in eius adiuto-  
rium sanctum dirige Michaëlem, qui eum  
protegat, visiteret, atque defendat ab omni-  
bus inimicis suis. Qui viuis & regnas, &c.

Oremus.

**O**mnipotens sempiterne Deus, qui libe-  
rare dignatus es hunc famulū tuum N.  
à vexatione satanæ & ministrorum eius,  
mitte in eum septiformem Spiritum san-  
ctum

Etum tuum Paraclitum de cælis. *Oratio.*

**Q**uæsumus omnipotens Deus, famulum tuum N. propitius respice; ut te largiente regatur in corpore, & te seruante custodiatur in mente. Per Christum Dominum nostrum. *Resp.* Amen.

Lectio beati Pauli Apostoli. *2.Cor. I.*

**B**enedictus Deus, & Pater Domini nostri Iesu Christi: pater misericordiarū, & Deus totius consolationis: qui consolatur nos in omni tribulatione nostra. Tu autem Domine miserere nobis. *Resp.* Deo gratias.

Lectio sancti Euangelij secundum

Lucam. *Luc. 10.*

**I**n illo tempore: Reuersi sunt septuaginta duo cum gaudio, dicentes: Domine, etiam dæmonia subiiciuntur nobis in nomine tuo. Et ait illis: Videbam satanam sicut fulgur de cælo cadentem. Ecce dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes, & scorpiones, & super omnem virtutem inimici: & nihil vobis nocet. Verumtamen in hoc nolite gaudere, quia spiritus vobis subiiciuntur; gaudete autem quod nomina vestra scripta sunt in cælis. *Resp.* Laus tibi Christe.

Oremus.

**O**Ramus te Deus omnipotens, ut spiritus iniquitatis amplius non habeat potesta-

192 MANVALIS EXORCISMORVM  
testate in hoc famulo tuo N. [vel hac  
famula tua N.] sed ut fugiat, & non reuer-  
tatur. Ingrediatur in eum [vel in eam] Do-  
mine, te iubente, bonitas, & pax Domini  
nostrri Iesu Christi, per quem redempti su-  
mus, & ab omni malo non timemus, quia  
Dominus nobiscum est. Qui viuit & regnat  
cum Deo Patre in unitate Spiritus sancti  
Deus per omnia saecula saeculorum. *Resp.* Amé.

Oremus.

**S**anctificet te Deus signaculo sancte Cru-  
cis + suæ, ut recedant à te omnes ini-  
mici tui. Defendat te Iesus Christus filius  
Dei viui per signum sanctæ + Crucis. De-  
fendat te Deus ab omnibus malis præsentib-  
us & futuris, exterioribus & interioribus.  
Signo + te signaculo sanctæ Crucis, ut à  
persecutionibus diaboli liberet te Deus. Si-  
gnaculo huius Crucis + prosternantur ipsi  
dæmones aduersarij tui, & fugiant à te. Per  
istius sanctæ Crucis + signaculum liberet te  
Deus à periculis omnibus: & mittat sanctos  
Angelos suos, qui te custodiant. Benedictio  
Dei Patri, & Filij, & Spiritus + sancti,  
sit super te. Virtus sanctæ Crucis + sit super  
te, intra te, circa te, ante te, & post te, & ma-  
neat tecum in æternum. *Resp.* Amen.

Benedictio + beatæ Mariæ matris Dei sit  
super te. Benedictio + Patriarcharū, Prophe-  
tarum,

rum, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Virginum, & omnium Sanctorum & Sanctarum Dei sit super te. *Resp.* Amen.

*Hic benedicet liberatum.*

**B**enedicat tibi Dominus noster Iesus Christus, & custodiat te. *Resp.* Amen.

Conuertat Dominus vultum suum ad te, & det tibi pacem. *Resp.* Amen.

Pax & benedictio Dei omnipotentis Patris, & Filii, & Spiritus sancti descendat super te, & maneat tecum in æternum. *Resp.* Amen.

*Pro occasione data instruet Exorcista liberatum lingua materna, materia defumpta ex sequentibus sententiis, & iuxta ea quæ dicta sunt in Instructione.*

**E**cce sanus factus es, iam noli peccare, ne *Ioan. 5.*  
**E**deterius tibi aliquid contingat.

Vade in domum tuam ad tuos; & annuntia illis quanta tibi Dominus fecerit, & misertus sit tui.

Vade in pace, & Dominus tecum sit in *Judith 8.*  
vltionem inimicorum nostrorum.

Vade & reuertere, quod enim meum erat, *3. Reg. 19.*  
feci tibi, & Deus Israel det tibi petitionem *1. Reg. 1.*  
tuam, quam rogasti eum. Dei enim est & *2. Paral. 25.*  
adiuuare, & in fugam conuertere.